Al Chiar.mo Sig. prof. Ma
a Parma
in attestato
di alta stima
l'autore

RUDIMENTA
HYGIENES PATHOLOGIAE THERAPEUTICES

EPITOME
NOSOLOGIÆ

AD INSTITUENDOS

CHIRURGIÆ STUDIOSOS

IN REGIO TAURINENSI ATHENÆO

PROFESSORIS

HORATII GARNERI

CHIRURGI PRIMARII

IN REGIO PTOCHOTROPHIO. ETC.

AUGUSTÆ TAURINORUM.

SUMPTIBUS BIBLIOPOLÆ PETRI JOSEPHI PIC.

1821.

Quidquid praecipies, esto brevis: ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.
Omne supervacuum pleno de pectore manat.

Horat. de arte poët.



Vobis, Discipuli me mihi cariores, librum

NUNCUPO.

Si hujusmodi documenta meis interpretanda verbis vos juverint, desiderium meum prorsus assequar.

H. G.

PROOEMIUM.

I. Chirurgicas institutiones tradentibus nobis operae pretium videtur ante definire quid sit Chirurgia; omnis enim, quae ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet, praeeunte Tullio (1), a definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id, de quo disputetur.

II. Chirurgia est Medicina, quae manu potissime valet: sed quo melius innotescat, nonnulla de Medicina in universum paucis praeponemus. Medicina est ars pluribus scientiis instructa, quae sanitati consulit, et morbos curat. Hanc antiqui Graeci in tres partes diviserunt, ut una esset, quae victu, altera, quae medicamentis, tertia, quae manu mederetur: primam diaeteticam, secundam

---

(1) *Cic. de off. lib.* 1, *cap.* 1.

pharmaceuticam, tertiam chirurgicam nominaverunt. Istas tamen omnes Medicinae partes tunc temporis, et multo post unus et idem professor exercebat.

III. Nostris autem temporibus universa Medicina tres distinctas professiones comprehendit, nempe Medicinam, Chirurgiam, et Pharmaciam: prima, quae generale artis nomen sibi vindicat, sanitati prospicit, morbosque internos curat et diaeta, et medicamentis, et quibusdam certis manus operationibus, quas tamen Chirurgiae committit; secunda speciali virtutis suae potioris nomine contenta externos morbos avertit, et curat diaeta, medicamentis, manusque potissimum opera; tertia medicamenta parat, atque componit.

IV. Si comparemus antiquam Medicinam Diaeteticam, Pharmaceuticam, et Chirurgicam cum Medicina, Chirurgia, et Pharmacia nostrae aetatis, manifeste patebit nunc temporis Medicinam, et Chirurgiam sibi divisisse morborum curationes, quae tunc ad pharmaceuticam Medicinam attinebant, et maximam earum curationum partem conti-

gisse Chirurgiae: siquidem Pharmacia nostri aevi non amplius morborum curationi dat operam, sed medicamentorum tantummodo praeparationi, atque compositioni vacat. Quod hic enunciamus probatissimum habemus ex CELSI libris V et VI, in quibus quum agat de Pharmaceutica, nempe de illa Medicinae parte, quae medicamentis magis pugnat, vulnerum, ulcerum, fistularum, tumorum, singularum partium vitiorum Pathologiam, et Therapeuticem praesertim tradit. Hi vero morbi nostris temporibus in jus, ditionemque Chirurgiae absque ulla controversia concedunt.

V. Hinc Medicinae nomen nostra aetate duplicem significationem obtinere potest: vel enim universam artis medendi scientiam, facultatem denotat; vel Medicinae professionem, videlicet illius partem. Medicinae quidem professio (sicuti apud nos exercetur) haud aliter ac Chirurgiae, et Pharmaciae professiones sunt totidem partes totius doctae artis medendi; quoniam singulae non totam medendi artem tractant. Quod est extra omnem dubitationis aleam.

Ex dictis liquido etiam patet nunc solum de Medicina, et de Chirurgia dicendum esse id, quod jam latinorum medicorum princeps scriptum reliquit (1): » id ante omnia scire » convenit, quod omnes medicinae partes ita » connexae sunt, ut ex toto separari non » possint, sed ab eo nomen trahant, a quo » plurimum petunt ». Hinc factum est, ut a graecis vocibus χεὶρ manus, et ἔργον opera Chirurgia seu Medicina Chirurgica dicta fuerit; a φάρμακον remedium Pharmaceutica; a δίαιτα diaeta Diaetetica.

VI. Chirurgia igitur, ut ipsissimis CELSI verbis utamur (2), « non quidem medica- » menta, atque victus rationem omittit; sed » manu tamen plurimum praestat, estque » ejus effectus inter omnes Medicinae partes » evidentissimus. Siquidem in morbis cum » multum fortuna conferat, eademque saepe » salutaria, saepe vana sint, potest dubitari,

---

(1) *CELSUS de Medic. lib. V praefatio pag. mihi* 241.

(2) *CELSUS de Medic. lib. VII praefatio pag. mihi* 405.

» secunda valetudo Medicinae, an corporis » beneficio contigerit. In his quoque, in qui- » bus medicamentis maxime utimur, quamvis » profectus evidentior est, tamen sanitatem » et per haec frustra quaeri, et sine his reddi » saepe manifestum est, sicut in oculis quo- » que deprehendi potest, qui a medicis diu » vexati sine his interdum sanescunt. At in » ea parte, quae manu curat, evidens est, » omnem profectum, ut aliquid ab aliis ad- » juvetur; hinc tamen plurimum trahere ». Minime vero diffitendum est, eadem affici incertitudine Chirurgiam nostram, quotiescumque et diaeteticam, et pharmaceuticam curationem ipsa adhibet.

VII. Proinde nihil mirum, si post aliquot barbara, et veris scientiis infesta secula pristinum suum jus, meritumque decus nostro aevo apud cultiores gentes recuperaverit Chirurgia. Quod ne arrogantiae opinione dictum quis putet, huc cordatissimi, et certe sapientissimi nostrae aetatis medici sententiam quibusque non vulgaris judicii viris ratam afferemus: « ars utraque (Medicina, et Chi- » rurgia) pari passu ambulat, eadem digni-

» tate gaudet, et iisdem principiis super-
» struitur, nec minus Chirurgo Medicina,
» quam Chirurgia Medico opus est, ut male
» ex hominis superficie vel interna, vel ex-
» terna unius scientiae desumpta sit divisio
» (1) ».

VIII. Nos quamvis unum, eumdemque virum posse fortasse et Medicinam, et Chirurgiam exercere probe intelligamus, istarum separationem tamen ad utramque promovendam perutilem existimamus; ad rem enim venit illud VIRGILII (2):

. . . . Laudato ingentia rura;
Exiguum colito . . . .

Sed nos etiam cum CELSO, ubi artis medicae Professores se diviserunt, eum laudamus, qui quam plurimum percipit (3).

IX. Quum autem Chirurgiae subjectum

---

(1) *FRANK Petri, Vindobonae Professoris. Epitom. de curandis hominum morbis tom.* 1, *pag.* 8.

(2) *Georg. lib.* 2, *vers.* 412, 413.

(3) *De Med. lib. VII, pag. mihi* 406.

homo sit pro secundae, et adversae valetudinis ratione; quum illius officium sit externos hominis morbos avertere, atque curare, quumque morbi ejusdem naturae sive externi sive interni iidem reipsa semper sint, uno verbo quum nihil Vindobonensis Professoris sententia verius, videlicet iisdem principiis, et fundamentis superstrui et Medicinam, et Chirurgiam, chirurgicae non secus, ac diaeteticae Medicinae Tyrones in primis, quae sequuntur, disciplinis erudiendos esse aperte constat, nimirum in Anatome, a qua discatur humani corporis fabrica, constructio; in Physiologia, quae vitae vires, partium actiones, functionesque, et prosperam valetudinem ostendat, nec non ad explorandam adversam conducat; in Hygiene, quae sanitatis servandae, adjuvandaeque praecepta tradat; in Pathologia, quae, quod adversae valetudinis interest, id omne generatim detegat, et pandat; in Therapeutice, quae primas lineas ad morborum curationem spectantes in universum indicet.

X. Quoniam vero ad alterum tractatum

pertinet Anatome (1), et Physiologia (2); hae chirurgicae institutiones comprehendent solummodo Hygienes, Pathologiae, Therapeutices rudimenta, nec non Nosologiae epitomem, quae praecipue tradentur, prout ad rem chirurgicam perducunt: sic istis praenotionibus instituti Tyrones utilius graviora Chirurgiae studia, atque praxim (3) prosequentur.

---

(1) *Anatome* ἀνατομὴ *dissectio, incisio, a verbo* ἀνατέμνω *disseco, incido.*

(2) *Physiologia ex* φύσις *natura, et* λόγος *sermo, seu potius ratio, uti eruitur ex* Cic. *de Natura Deor.:*
» *Hunc tu censes primis, ut dicitur, labris*
» *gustasse Physiologiam, id est, naturae*
» *rationem etc.?*

(3) *Studia nempe morborum, qui ad Chirurgiam pertinent, nec non materiei Medicae, atque Chirurgicae; studia, exercitationesque Chirurgicarum operationum, et artis obstetriciae; atque Clinicem Chirurgicam.*

HYGIENES

PRÆFATIO.

. 1. Ὑγιέια graeca vox proprie significat sanitatem, et apud Mythologos sanitatis Deam, latine Hygeam dictam. Hinc Hygiene dicta est illa artis medicae disciplina, quae sanitatis servandae, adjuvandaeque praecepta tradit. Quum tanti momenti rem spectet Hygiene, nil igitur mirum, si et vetustissima sit, si et diligentissime, amplissimeque hanc excoluerint, atque illustraverint tum totius Medicinae Proceres, uti HIPPOCRATES, CELSUS, GALENUS, tum usque praeclarissimi in arte viri, quos inter merito recensendi sunt MERCURIALIS, SANCTORIUS, Ludovicus CORNELIUS, SEBIZIUS, CARDANUS, BRUYERINUS, Fridericus HOFMANNUS, RAMAZZINIUS, CHEYNIUS, LOMMIUS, MACKENZIUS, RICHTERUS, Alexander MONRÒ, LORRYUS, QUERCETANUS, ZUCKERTIUS, PLENK, UNZERUS, TISSOT, BUCHAN, FRANK, ODIER, HALLÉ, FODERET, CARMINATI, TOURTELLE, etc.

2. Hygiene idem ferme valet, ac diaeta, graece Δίαιτα: medicarum enim rerum Scriptores alii diaetae nomen stricte usurpant ad significandam cibi, potusque rationem; latius alii ad totius victus regimen designandum, nempe ad regimen rerum omnium, quae ad vivendum sunt homini necessariae, aut apprime utiles. Unde diaetetica medicina dicta est, quae victus ratione potissimum medetur, et hygienica ideo Medicina etiam dicitur. Diaeta vero significat etiam coenaculum, coenationem, et coenam ipsam; nostro aevo diaetae nomine vocatur quoque Germanorum principum, aut legatorum concilium, conventus, in quo de rebus publicis Germaniae illi statuunt. Δίαιτα a Graecis sumebatur etiam pro loco, in quem arbitri ad judicandum conveniebant, itemque pro ipso arbitrio. En quot significationes obtineat graeca vox δίαιτα, et latina diaeta.

3. Sicuti Hygienes objectum, et finis est sanitatis tutela; ita est definienda sanitas: sed quo melius hanc concipere valeamus, refert antea paucis exponere, seu potius commemorare quid sit vivere, valere, aegrotare, mori, siquidem horum omnium ideae adeo inter se connexae sunt, ut una absque aliis obtineri bene non possit. Primo vivere ea corpora dicuntur, quae organica vocant rei naturalis auctores: haec autem sunt, quae a natura ita

comparata fuerunt, ut in se se contineant partes omnes propria efficientia donatas, necessarias, et aptas ad suas obeundas actiones, functiones, officia, munia, uti nutritionem, humorum circuitionem, secretionem, speciei propagationem, etc. Organicis corporibus propriam efficientiam, sive vim vitae tribuit vitale principium, de quo quam maxime disputatum est: enim vero totis viribus Physiologi, atque Philosophi in hoc exquirendo, scrutando, detegendo elaborarunt. Est ne anima? Non pauci dubitant ex eo, quod vitale principium competat etiam plantis, quae inanimatae sunt, et tamen vivunt; dubitant quam maxime etiam ex eo, quod brachia, crura, aliaeque partes animantium in utero materno, et alicubi excreverunt vel ad naturale volumen, a quibus partibus animam abfuisse existimant, et in ipsis certe aderat vis vitae, potentia vitalis; siquidem adeo increverunt. Vitale igitur principium est ne in animantibus, et in homine (quod nostra maxime interest) quid ab anima diversi?

4. Nos quidem in hac opinione versamur: Summus rerum omnium Creator vitale principium quoddam ab anima toto coelo distans assignavit stirpibus tamquam vitae efficiens, et regens: belluis vero dedit animam irrationalem ad regendam vitam animalem, atque corpoream. Homini demum

praeclarissimo munere rationalem, atque immortalem animam concessit D. O. M. ad praecelsa mentis munia obeunda, et ad regendam corporis vitam. Nihilque valent, prout sentimus, exempla partium seorsim in materno utero, et alibi excretarum: haec enim membra, licet forsan inanimata, poterant quidem vivere ob influxum vitalis potentiae matrum, sed nullomodo absque illo vitam protrahere potuissent. Revera istiusmodi entia numquam extra maternum corpus vivere visa fuerunt.

Vivere igitur dicuntur corpora organica usque dum suam servant efficientiam, nempe vim vitae.

Valere est cunctas vitae functiones, munia commode exercere.

ÆEgrotare est plus, minusve incommodam vitam ducere.

Mori est vitae vim prorsus amittere.

5. Sanitas proinde definiri potest vitae conditio, in qua actiones, functionesque intra naturae leges commode persolvuntur. Haec inest primigenia bona constitutione, et sustentatur recto rerum connaturalium usu. Hinc quibus ista sunt, erit sana, longaque vita. Primigeniae bonae constitutionis fundamenta, et indicia in homine sunt: 1.° a bene valentibus, fortibusque parentibus virentis aetatis progigni, unde illud Horatii, *fortes creantur fortibus*; 2.° nulla congenita lue contaminari; 3.° non

geminos concipi; 4.° maturo ventre exoriri; 5.° non ultra tempus, non ultra modum excrescere; 6.° singulas partes, totumque corpus bene conformatum, et integram mentem habere.

6. Perfectissimam sanitatem raro contingere, res est certissima: homo enim optimo corpore, firmis viribus, vivida mente pollens adeo, ut haec omnia ad actiones, functionesque perficiendas aptissime conspirent, si animo advertit assiduas vitae vicissitudines, saepissime sentiet se a grata temperie alienatum, incommodo sudore madidum, vestibus aliquomodo impeditum, quarumdam naturalium appetitionum expertem, quodam fastidio, molestiave affectum, hoc est non plane belle se habere. Quae omnia etiamsi secundam valetudinem, nempe sanitatem strictim non auferant, perfectissimam tamen excludunt. Ex dictis sanitatem non in mathematico puncto constrictam, sed extensam ad sat latam sphaeram volumus esse concipiendam.

7. Homo, animal hoc providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, et consilii, praeclara quadam conditione creatus est a Summo Deo, ita ut prae caeteris animantium generibus, atque naturis sanam vitam degere, suamque progeniem agere queat et in aestuosissimis, et in frigidissimis orbis terrarum plagis. In hisce tamen locis diversis homines unius licet originis

varie tamen temperantur (ut cum geographis loquamur) ratione zonarum, climatum, plagarum, regionum. Enim vero regionum temperatarum indigenae sunt pulcherrimi, ingenio, ac virtute ornati, ut Georgiani, Circassii, Armenii; glacialium autem sunt deformes, foedi, obtusi, uti Laponenses, Islandenses, Groënlandenses; percalidarum demum aut nigri sunt, aut nigricantes, male olentes, pigri, lenti, citoque senescentes, uti Angolenses, Nubii, AEthiopes, Celanenses. Aliae intermediae gentes istorum characterum participes fiunt, prout memoratis zonis sunt propiores, vel remotiores, prout etiam plus, minusve in accolas valent climatum, plagarum, regionum adjuncta diversa, quae hic vel leviter indicando nimis excresceret oratio.

8. Homines ad varium vitae genus pro eorum ingenio, industria alliciuntur a locorum natura, in quibus inhabitant; proinde plerumque venatores in venatricibus, piscatores in piscosis, pastores in pabulosis, agricolae in feracibus regionibus fiunt; artifices, et mercatores in populosis, et maritimis praesertim civitatibus, in bene constitutis, atque florentibus sapientes.

9. Quod igitur vel ob loci naturam, vel ob vitae rationem ad homines spectat, id semper est animadvertendum utriusque Medicinae cultoribus;

refert enim in Chirurgia facienda, uti nostrum est, quid homini sit naturale, quid morbosum, quid solitum, quid insolitum, et alia id genus sedulo perpendere: puta foetor quidam nigris Angolae hominibus naturalis est, quibusdam aliis populis vel nigris morbosus esset; puta Mogolensibus fulvus color naturalis est, aliarum nationum hominibus morbosus; nasus simus, crispans quorumdam hominum, aliaeque corporis deformitates variis gentibus naturales quibusdam hominibus morbosae contingunt. Refert praeterea in Chirurgica Medicina exercenda attente etiam animadvertere varias hominum occupationes, varios labores, varia negotia, et studia; siquidem haec omnia non parum in varias infirmitates, inque diversos morbos possunt.

10. Res demum connaturales, videlicet quae ad vivendum sunt homini necessariae, aut apprime utiles, ne inordinate dicendo vagemur, ad sex summa capita referimus: nempe 1.° ad circumfusas; 2.° ad applicitas; 3.° ad ingestas; 4.° ad excretas; 5.° ad gestas; 6.° ad perceptas.

CAPUT I.

DE CIRCUMFUSIS.

Circumfusae res, a quibus multa manant, et fluunt principia in hominum sanitatem agentia, vel ad aërem (1), vel ad tellurem pertinent.

Aër.

11. Salubres et insalubres aëris athmosphaerici (2) conditiones, ac vicissitudines disquirentibus ejus pressio, impuritas, temperies, lux, venti, electricitas, meteora animadvertenda sunt. Quae vero sit aëris natura, quaeque ejus proprietates, jam a Physicis (3), et Chemicis (4) vobis traditum est. Vos etiam aërem ceu vitae pabulum docet Physiologia.

12. Aër hominum corpus quaquaversus comprimit ratione ponderis, et elasticitatis praesertim. Aëris

---

(1) Aër, graece ἀὴρ.

(2) Atmosphaericus nomen est adjectivum ab atmosphaera derivatum : atmosphaerae vox componitur ex duabus graecis ἀτμὸς vapor, et σφαῖρα sphaera.

(3) Physicus a φύσις natura, φυσικὸς naturalis.

(4) Chemicus a chemica, aut chemia voce sic latine reddita vel ab arabico nomine kema, sive kemia, quod significat artem, quae agit de corporum proprietatibus ; vel a graeco verbo χέω fundo, vel a χυμὸς succus, humor.

pondus, quod sustinet in planitie homo mediocris staturae, est triginta trium millium, et sexcentarum librarum (33600) secundum Physicorum calculos. Aëris elasticitas densitati directe respondet, et gravitatem aequiparat, adeo ut quaelibet aëris portio sua elasticitate totam perferat atmosphaericam columnam sibi incumbentem. Hoc in caussa est, cur barometrum sive sub dio, sive in cubiculis undique clausis eamdem servet altitudinem: sic igitur plane intelligimus, cur homines in cubiculis vel angustissimis ab imminuto aëris pondere minime afficiantur, et bene valeant, quasi in aperto aëre essent.

13. Inter quosdam fines aëris pressio imminuta, vel aucta quasi innoxia bene valentibus succedit: ab aëre enim valde levi ob loci altitudinem supra maris planitiem, ut hydrargyrum (1) barometri infra sexdecim pollices delapsum fuerit, vix, aut ne vix quidem male affici sanitatem observavit Haller in monte Jugo, et Furca apud Helvetios; in Caucaso Asiae monte Chardin; in Picco Teneriffae monte Americae Mariotti, et Cassini; in AEtna Siciliae monte nonnulli Angli auctores;

---

(1) Hydrargyrum ab ὕδωρ aqua, ἄργυρος argentum. Quod argenti quidem colorem referat, nec tamen ut argentum uno loco consistat, sed aquae modo diffluat.

in Pichincha et Coracon monte Americae Galli Academici; non pauci demum alii in diversorum montium cacuminibus. Neque brevi dumtaxat tempore in ejusmodi levissimo aëre sat commode vivitur: nam quaedam istorum montium altae regiones sunt incolis frequentes; in quibusdam vero aliis regionibus altissimis sanam vitam traduxere advenae per hebdomadas, perque menses, uti testati sunt commemorati auctores. Aërem vero valde densum, et gravem absque ulla etiam sanitatis noxa perferri posse aperte declarant sat bene valentes homines, qui ad sat longum temporis spatium in profundissimis fodinis aliquid operis faciunt. Hic tamen monemus, aërem tum leviorem, tum graviorem male ferri ob subitam potius mutationem, quam ob gradatam, et lentam; monemus etiam potius ponderosiorem, quam leviorem aërem generatim tolerari.

14. In magis, aut minus premente aëre sunt certi denique fines, quos ultra, citraque homo nequit bene valere. Ultra enim aucta aëris pressio respirationem, et sanguinis circuitum difficiles reddit: nimirum graviore aëre, magisque elastico validius, quam par est, angustantur canaliculi per totum corporis ambitum, humores ideo ad interiora detruduntur, sanguis propere petit pulmones, qui a magis elastico aëre etiam penetrati magis quoque

distenduntur, dilatantur ita, ut a nimia propulsi sanguinis copia ipsi opprimantur, et novae quas inspirationi non sit locus, nec liberum pateat iter irruenti usque sanguini. En igitur quomodo difficilis evadat respiratio, et sanguinis circuitus cum quadam oppressione ob nimis adauctam aëris pressionem. Ultra vero imminuta aëris pressio respirationem, nec non sanguinis circuitionem sollicitat; insuper tum solidorum, tum fluidorum expansioni ansam praebet adeo, ut, disruptis aliquando tenerioribus vasis oculorum, aurium, narium, aliarumque vel internarum partium, haemorrhagiae eveniant, de quibus phaenomenis (1) nos certiores facti sumus ab iis, qui nostra aetate atmosphaerae spatia pervadunt aëreae navis ope (si licet hoc nomine vocare aërostaticos (2) globos, quibus per aëra evehuntur quidam homines, nonnisi spectaculi gratia). Hoc forsan novum non est, si quid veri in Dedali fabula continetur: tunc enim aëre leviore, minus elastico, et debilius premente rarefiunt, et expan-

---

(1) Phaenomenon a verbo φαίνομαι appareo. Quasi quid apparens.

(2) Aërostaticus ab ἀὴρ, et στατικὸς sistendi vim habens, quod a verbo ἵστημι, sisto: scilicet globus, qui in aëre sistendi vim habet. Item hydrostaticus ex ὕδωρ, aqua, etc.

duntur humores, solida laxantur, vasa praesertim infirmantur, quae ideo humoribus circumagendis non amplius sufficiunt, unde non satis distentis pulmonum vesiculis, et ita fatiscentibus hisce respirationis visceribus, hac transire sanguis praepeditur, licet celerior momento temporis visus fuerit ejus circuitus ob adauctam vasorum capacitatem; hoc igitur modo anhela evadit respiratio, nempe citatissima ob urgentem usque novae inspirationis necessitatem. Minime vero mittendum est, cordis vires intendi aëris gravitate, et levitate remitti: ad hoc praecipue attendenti aperte patebit, minus a graviore aëre, quam a leviore periculum imminere. Hinc par est eruere, quibus debiles, aut infirmi sunt pulmones, levem aërem minus convenire, quam gravem. Ex dictis hucusque facile etiam colligere est, quomodo aër, quoad pressionem attinet, vel salubris, vel insalubris evadat.

15. Licet circumfusus aër ferme semper constet debita proportione gaz (1) oxygenii (2), et azoti (3), utpote essentialibus elementis, eum tamen

---

(1) Gaz vox primitus a Van-Helmont usurpata cujus etymologia prorsus ignoratur.

(2) Oxygenium ex ὀξὺ acidum, et γεννάω genero. Quasi elementum generans acida.

(3) Azotum ex α particula privativa, et ζωὴ vita; quasi elementum privans vita.

principiis heterogeneis (1) commixtum habemus in atmosphaera; siquidem flumina, stagna, paludes, vegetalia, et animalia viventia, fodinae sulphureae, salinae, et metallicae, eruptiones igneae, aliaque similia aërem suis emanationibus alterant in ima praecipue atmosphaera, et ita mephiticum reddunt. Aër in habitationibus opportune non renovatus variis quoque modis infici potest, et noxius fit: complures enim homines, complura animalia respirationis ope oxygenium consumunt, et gaz acido carbonico polluunt. Hoc evenit ex nimium abundis illuminatis lucernis, candelis, facibus, ex vinosa fermentatione, ex carbonis combustione, nec non ex aliis compluribus evaporationibus: aërem etiam vitiant corpora multum olentia, uti aromata (2), flores, utpote quae vitale aëris elementum ab atmosphaerico aëre subripiunt, et ita illum eodem ferme modo, ac respiratio, et combustio immutant. Immunditiae, aegrotorum praesertim emanationes aërem inquinant. Hinc in nosocomiis (3) valde noxius, et mortifer quandoque evadit.

---

(1) Heterogeneus ab ἕτερος alter, et γένος genus; nempe quod est alterius generis. Ex adverso homogeneus ex ὅμοιος similis, vel ejusdem generis.

(2) Aroma ἄρωμα proprie valet odoramentum.

(3) Nosocomium a graecis vocibus νόσος morbus, et

16. Quidam autem novissimi Chemici docent, aërem semper continere debitam gaz oxygenii proportionem tum in theatris, tum in templis, tum in aliis conclusis locis, in quae et frequens populus convenit, et abundae sunt flammae. Idcirco concludunt, illic assiduo reparari aëris oxygenii jacturam ab aëre libero atmosphaerico vel per minimas portarum, fenestrarumque fissuras ingrediente: concludunt etiam, aërem iis in locis non proinde vitiari a jactura gaz oxygenii, et ab additione gaz carbonici, sed ab aliis non sat notis principiis. Hinc si quid oxygenii huic aëri deficere potest, adeo minimum est, ut illius insalubritas minus sit tribuenda oxygenii defectui, quam aliis non sat bene cognitis caussis.

17. Aër impurus sive per respirationem, sive per deglutitionem, sive per absorptionem plus minusve sanitati obest, prout heterogenea aëris principia minus vel magis vitae viribus inimica sunt, et prout ista minus, vel magis praestantes nostri corporis partes afficiunt. Ad aëris impuritates depurgandas nonnulla conferunt, nimirum ventilationes in primis, ignis, aqua calcis ad absorbendum gaz acido-carbonicum aptissima, evaporationes aceti, acidi nitrici, chlorii: consule annotationem trige-

---

κομέω curo, curam gero. Idest locus, hospitium, in quo curantur morbi.

timam nonam ad rem appositam codici pharmaceutico pro Nosocomiis, Hospitiis, etc. jussu illustrium Administratorum elaborato, et typis edito a clarissimis, atque sapientissimis viris Anforni, Caligaris, Costa, Rossi, Sacchetti, pag. 69, edit. 2 Taurini MDCCCXI. Minime vero aërem expurgant, uti creditum est, aromatica suffimenta.

18. Ut scite, et apposite sanitati tuendae aëris atmosphaerici temperiem accommodare pernoscamus, in homines caloris, frigorisque actionem delibabimus, quorum ope in humano corpore physicae, chemicae, et vitales vicissitudines indesinenter producuntur. Vix tamen mente concipitur, physicas, et chemicas vicissitudines in vivente homine produci a calore, et frigore, quin prius utrumque suas exerat actiones in vitales vires, quae ideo istiusmodi vicissitudinibus semper praesunt.

19. Calor molecularum cohaerentiam minuit, propterea fluidorum rarefactioni favet, solidorum firmitati nocet, partium volumen auget. Ob caloris actionem contingere in humano corpore assiduas compositiones, et resolutiones prorsus credibile est. Istae licet huc usque non sat aperte innotescant, pro certo tamen habemus, ope evaporationis superflua, et noxia principia eliminari, nec non aquoso elemento sanguinem depauperari, quod forte in caussa est, cur, aestuante temperie, frigidae

aquosae potiones appetantur, et adjuvent; ardentis contra Falerni pocula adversentur, et noceant. Fervida temperies nimium vitae vires excitat, praecocem facit vitam, istamque citius consumit; si assidua, segnes, inertesque homines reddit. Temperatus aër vitae actiones, functionesque exerit modicas, ex quo utplurimum corporis vigor, et forma, animi virtus, morumque suavitas promanant.

20. Frigus utpote caloris defectus molecularum cohaerentiam auget; ideoque fluidorum rarefactioni obsistit, solidorum firmitati prodest, partium volumen minuit. Inter algoris effectus recensendae procul dubio sunt minus perfectae compositiones, minusque copiosae excretiones. Maximi vero momenti est in vitales vires frigoris efficacia: incitabilitatem minus movet frigus, sed vitae vires (intra datos modos, et fines) incitabiliores reddit: vitalitatem moderatur, servatque; hinc torosos fortes, longaevosque homines facit; intensius frigus vitae taedium, non raro totius corporis stuporem, soporem, ipsamque mortem placide producit.

21. Ex subita demum caloris, et frigoris successione multum detrimenti fit vitali oeconomiae. Unde jam scite Celsus (1): minime vero calor, aut frigus tuta sunt, ubi subita insuetis sunt. Si incalescens

(1) De Medic. lib. 1, cap. IX, pag. mihi 40.

homo repente frigus excipiat, multo majorem inde noxam percipiet, quam si eidem frigori, vel algori pedetentim assuesceret: a caloris enim influxu excitae vitae vires, actionesque adauctae ob subitum frigus protinus languent, proindeque non leves sanitatis turbae necessario suboriuntur. Si contra frigescens subito calore corripiatur, multo majorem noxam quoque percipiet, quam si calori ipsi, vel intensiori etiam paullatim, sensimque assuesceret; siquidem a frigoris actione languentes, aut torpidae quasi vitae vires, actionesque, sed incitabiliores factae necessario nimium excitantur a repente calore, ideoque alterius generis turbae in vitali oeconomia suscitantur: ex dictis facile erui potest, quod esse oporteat in sanitatis tutelam caloris, frigorisque moderamen.

22. Anni tempestates, videlicet ver, aestas, autumnus, hyems non solum varia aëris temperie, sed aliis etiam non sat fortasse perpensis caussis in animalem oeconomiam agunt. Ver mentem, corpusque recreat, et ad Venerem suscitat. AEstas corporis vires elumbes, animumque minus alacrem reddit. Autumnus minus, quam ver, nos reficit, et, quam aestas, enervat. Hyems minus valentes debilitat, causarios infestat. Attamen immutabiles tempestatum successiones a sapientissimo rerum omnium Conditore sancitae terricolarum universitati generatim proficiunt.

Inter caussas non sat fortasse perpensas, quarum ope variae anni tempestates agunt in vitalem oeconomiam, praeter calorificam temperiem, de qua sat diximus, amplius considerandae nobis etiam videntur peculiares vitalis oeconomiae dispositiones, conditiones a recedente tempestate inductae, de quibus pauca delibare fert animus.

23. Ver mentem, corpusque recreat, et ad Venerem suscitat universas viventium species. Quod certe non solum tribuendum est veris teporibus; siquidem autumni certa tempora obtinent tepores vernalibus prorsus respondentes, qui tamen id non admodum praestant, ac illi vernales. Hinc consequens est, aliam exquirere caussam peculiarium effectuum vernalium, de quibus dictum est. Caussa haec, ni fallimur, est quaedam dispositio oeconomiae vitalis inducta a recedente hyeme. Enim vero acris, rigidaque hyems, ut traditum est, vitalitatem conservabat, auctiorem, exquisitiorem reddebat, proptereaque subsequentes veris tepores potiores succedunt ad illam excitandam, quam prorsus respondentes autumni tepores, quia hi contingunt vitali oeconomiae aliter dispositae a recedente aestate: nimirum vitalitas non est servata, non temperata, non incitabilior facta a recedente aestate, uti a recedente hyeme; sed e contrario defatigata, minusque incitabilis; proinde vitalitas non tantum

a tepidis autumni auris, quantum ab aequis veris teporibus exhilaratur.

24. AEstas corporis vires elumbes, animumque minus alacrem facit. Quod necessario contingere debet ob assiduam aëris fervidam temperiem a vere usque crescentem, quae fervida, et assidua atmosphaerae temperies vitalitatem defatigat, ac quasi ex parte consumit, uti jam tradidimus.

25. Autumnus minus, quam aestas, nos debilitat, atque enervat ob mitiorem ejus calorificam temperiem; minus etiam, quam ver, nos excitat, exhilarat, et reficit certe ob vitalis oeconomiae dispositionem a praevia aestate productam, uti jam exposuimus. Quod ut facilius intelligatis, satius declarabimus; oeconomia vitalis in autumno evadit defatigata ab assidua, atque usque crescente fervida aestatis temperie, ideoque autumnales tepores licet vernalibus prorsus respondentes vitalem oeconomiam minus excitant, minusque animum exhilarant. Adde etiam, quod autumni tepores continuo decrescunt; vernales contra accrescunt.

26. Hyems minus valentes debilitat, causarios infestat, quod non difficili negotio concipiemus, si animadvertamus, calorem esse quiddam pernecessarii vitae excitandae, ac sustentandae, qui calor, quum hyeme admodum deficiat, tunc ideo deficit quid pernecessarii debili, infirmaeque vitae exci-

tandae, sustentandae. Minime vero valet quorumdam opinio, qui huic sententiae continuo objiciunt, hyemali tempore homines fieri fortiores, meliore ciborum appetitione frui, uno verbo melius valere. Quoniam in hac felici vitae conditione non nisi quidam sunt robusti adolescentes, aut adolescentiae propiores, aut etiam nonnulli viri validissimam sanitatem gerentes, aut vere pancratice (1) valentes, quibus omnibus opus est, ut sua vitalitas temperetur, servetur a moderatis vitae stimulis, ad quos certe referendum est frigus; sed in naturae ordine constanter observamus hyberno tempore male se se habere minus valentes homines, senescentes, pessime autem causarios, quibus imo mortifera hyems saepius, quam ver, aestas, autumnus succedit.

27. Quod demum ad anni temporum salubritatem attinet, id jam scite, et fuse nos docuit Celsus (2). Generatim aequales tempestates meliores sunt sive frigidae, sive calidae. Malae autem sunt, quae maxime variant. Hujusmodi inaequalitates praesertim a vere, et autumno feruntur. Per hasce igitur tempestates quisque diligentius suam valetudinem curet, ne haec prospera tam facile in adversam incidat

(1) Pancratice a πᾶν omne, et κρατέω vinco, quod omnibus, et quidem firmissimis viribus opus sit, ut quis victoriam referat in pancratio, nempe in certamine.

(2) Lib. II, cap. 1, pag. 42 mihi.

sive ob intemperies, sive ob subitas mutationes, quae tunc temporis facile contingunt in nostris etiam Subalpinis provinciis.

28. Per medium atmosphaerae aërem grata, suavisque effunditur lux, cujus ope mirabile prorsus emicat naturae theatrum, et cujus privatione nox obscurat omnia tenebris. Quantus enim horror in obscuritate! Quam tetrum silentium! Ecce e contrario prima lucis beneficia: dum rubicunda consurgit aurora, ac dein horizontem (1) irradiat jubar laetissimum, quam varia scena, quam mira hilaritas! Objectorum numerus, varietas, atque venustas, multiplicia uno verbo phaenomena alliciunt, gaudio complent, ac quasi rapiunt; elegantibus, variatisque coloribus induuntur flores; per aërem certatim spatiantur volucrum agmina; suavibus numerosae lusciniae cantibus resonant sylvae; huc illuc vagantur animalia sibi pastum comparatura, et quaedam ex hisce homini sociata defodiunt terram, quae munifica centuplos inde fructus restituit. A luce denique, ut nos brevi expediamus, innumera beneficia obtinemus.

29. Hominem prae caeteris animantibus luce indigere ad bonam valetudinem servandam quotidiana docet experientia, et fortasse lux vividior; qua

---

(1) Horizon a verbo ὁρίζω definio. Horizon quasi locus definiens visum.

rustici gaudent, non est ultima caussa roboris, quo civibus praestant. Qui lumine solari destituuntur, languidiores fiunt, et pluribus peculiaribus morbis obnoxii sunt: his optimum medicamen est lucis restitutio: lux et bene afficit animum, ex quo jubar quasi effunditur: maestus contra homo vitam trahit in tenebris.

30. Lux, et tenebrae, non secus ac tempestates ordinatis suis successionibus animali tamen prosunt oeconomiae, idcirco vitales modificationes a die nocteque inductae apprime tribuendae sunt luci, et tenebris, nec non variae aëris temperiei, et humiditati, nempe rori matutino, et vespertino, quae singula varias mutationes in horam subeunt. In die vita alacrior est, animusque laetus vagatur; in nocte corpus vel diurno opere faciundo fessum evadit, mensque meditationi aptior; partus in nocte frequentiores, quam in die evenire non desunt, qui credunt. A nimia autem, et diuturna luce defatigantur homines, et ad oculorum morbos quam maxime objiciuntur. Ob nimias contra, diuturnasque tenebras languescunt, pallescunt, et in morbos etiam incidunt; quod evenit iis, qui in tenebricoso carcere detinentur; illorum etiam oculis, ac universae corporis constitutioni lux infestissima contingeret, nisi in primis moderatissima. Aliae tamen caussae complures ad vires captivorum infringendas concurrunt.

31. Disputant philosophi, num sidera praeter lucem, quam late diffundunt, aut reflectunt, quamdam aliam in mortales potestatem exerceant. Hanc alii exaggerant, alii prorsus negant. Tertii controversiam transigunt admittentes quemdam astrorum influxum in humana corpora, quem influxum tametsi inexplicabilem analogia, et observatio nos docent. Enim vero complures morbi praesertim nervosi cum lunae phasibus (1) consentire quotidie observantur; caeteroquin luna, et sol certe agunt in atmosphaeram, hanc autem in homines agere quis neget?

32. Venti fiunt ab aëre dimoto, et tunc aëris agitati, perinde ac aquarum, undae irruunt. Venti cardinales sunt:

Subsolanus Ἀπηλιώτης	orientalis, siccus;
Favonius Ζέφυρος	occidentalis, humidus;
Auster Νότος	meridionalis, calidus;
Aquilo Βορέας	septentrionalis, frigidus;

Hi sunt generales, seu constantes; aliique inter

(1) Phasis φάσις apparitio. Sic luna habet multas phases, sive apparitiones.

hos medii tum periodici, tum vagi in maritimis, et terrestribus regionibus suscitantur, et perflant venti, qui omnes quandoque adeo veloces, et fortes excurrunt, ut sibilo, fragore, reboatu perterreant, et humi etiam homines prosternant.

33. Medicis solemne est ventos distinguere a temperie, et a siccitate, vel humiditate: venti aëris renovationem praestant; per nivem, vel grandinem excurrentes frigus deferunt, et contra a calidissimis regionibus provenientes calorem; varia etiam principia cum aëre soluta, vel commixta efferunt, aut afferunt; illi adeo varie utiles, vel noxii contingere possunt; materiem perspirationis dissolvunt, et corporis habitum utplurimum refrigerant; nimis frigidi et validi perspirationem supprimendo morbos quamplures progignere queunt, et quidem frequentissimos alvi fluxus; oculis, et in quas irruunt, membranis mucosis magnopere infesti sunt, hinc creberrimi oculorum, aurium, narium, faucium, aëriferorum canalium, et pulmonum morbi.

34. Ex dictis facile eruitur, quantum ad tuendam valetudinem referat salubres, et insalubres ventos pro loci natura, in quo degimus, probe novisse, ut illos omnibus modis admittamus, hos studiosissime devitemus. Caveat autem, qui suae spontis est, ne vento ob nimium impetum, obve alias rationes nocituro obvius incedat, aut obsistat, eoque

magis caveat, ne aut celeriter sub dio inambulans, aut equo insidens, aut cisio vectus adversus eum nitatur; sed domi maneat, irruente vento, aut inter vallata, et tuta loca se ipsum contineat. Cui vero eundi, et redeundi necessitatem domestica, vel civilia officia, atque negotia imponunt, curet ille, ut spirantibus ventis terga objiciat, os velet, viasque legat, quae ventorum spiramento minus patent, omniaque demum agat, quae futuram noxam avertere valent, eoque diligentius ille, cui tum suae propriae valetudinis, tum ventorum perniciei notitia suadet pericula.

35. Huc spectare possunt sonitus: si corpora, quae sonora nominantur, percutiuntur, in tremores adiguntur, simulque aër oscillationes concipit, e quibus sonus emergit. Sonorum alii sunt harmonici, grati, et utiles; alii tumultuosi, vel admodum vehementes, et noxii.

36. Fluidum electricum cunctis naturae corporibus inest; sed non nisi turbatum suas exerit manifestas actiones, quae electricitatis nomine plerumque designantur, quare quum assiduae sint telluris, et aëris mutationes, quae hujusce fluidi quietem commovent, assiduae etiam esse debent electricitatis vicissitudines inter tellurem, quae nos sustinet, et aërem, qui nos ambit, et penetrat.

37. Nos igitur tellurem inter, et atmosphaeram

positi, proprio etiam electrico fluido donati, participes quoque esse debemus istarum electricitatis vicissitudinum, quibus proinde nostra sanitas varie afficitur. Electricitatem in hominum valetudinem agere nemo dubitat; re enim vera sensibiliores praesertim homines non raro a quodam taedio, tristitia, aliisve fere inexplicabilibus affectionibus, quas patiuntur, proximi futuri venti, tempestatisque certum obtinent praesagium tunc cum fluidi electrici aequilibrium turbari incipit, quin ullae electricitatis actiones manifeste adhuc se prodant.

38. Sed quot et quibus modis in animalem oeconomiam electricitas agat, res est hucusque explicatu difficillima. Haud improbabile tamen videtur ob positivam electricitatem increscere, et ob negativam minui vitae virium, et nervosi praecipue systematis incitamentum. Hos igitur in valetudinem malos electricitatis effectus, qui haud facile devitari possunt, quisque saltem propria experientia fretus sibi corrigat quiete, somno, ludo, deambulatione, convictu, societate, colloquiis, falerni poculis, aliisve similibus.

39. Meteora (1) sunt phaenomena atmosphaerica,

---

(1) Meteora a *μετέωρος* sublimis, vox est conflata ex *μετὰ* per, inter, in, et *ἀείρω*, vel *αἴρω* attollo. Hinc meteora dicta sunt, quae in aëre occurrunt, phaenomena, ac si diceremus phaenomena sublimia.

quae a vaporibus praesertim originem ducunt. Praecipuae caussae, cur vapores in aërem efferuntur, secundum celeberrimorum Eandi, et Vassalli sententiam tres sunt: 1.° inter aërem, et aquam affinitas, qua se mutuo attrahunt; 2.° ignis communis, qui aquae particulas in vapores aëre specifice leviores redigit; 3.° ignis electricus, qui evaporationem longe adauget ducendo in semitam suam particulas aqueas, ut per ipsas liberius possit se effundere ad aequilibrium. Meteora distinguimus in aquea, et ignea, quae quum in aëre, de quo agimus, occurrant, non abs re ducimus brevissime dicere de iis, quae in hominum valetudinem insignes exerunt actiones. Aquea meteora, quae hic nos sumus pro re nostra consideraturi, sunt nebulae, nubes, pluvia, ros, pruina, nix, grando, aqueus turbo.

40. Nebulae ob heterogeneas substantias varias, quas continent, varie insalubrem reddunt aërem; ob humidos vapores perspirationi cutaneae, et pulmonali nocent; moerorem, tristitiam inferunt propter obscuritatem, quam producunt; prout positive, vel negative electricam faciunt atmosphaeram, deprimunt, aut incitant vitae vires, et nerveum systema praesertim.

41. Nubes insuper, dum congregantur, et densantur, ut aquae guttas, inde pluviam efficiant,

calorici, sive ignis communis materiem exprimunt, effundunt, et sic calidiorem atmosphaeram reddunt.

42. Pluvia inquinatum aërem expurgat, et exhalatas antea materies ad terram revehit dilutas, et mutatas fortasse. Imber propterea pro varia soli exhalantis conditione differt. Hinc post pluvias serena, et salubris fit atmosphaera. Ex dictis facile est concipere pluviae utilitates, et damna in hominum sanitatem.

43. Rorem Physici triplicem distinguunt, videlicet descendentem, ascendentem, et perspirantem a plantis: pro triplici roris varietate, monente BOERRHAAVE, minutissima plantarum semina, animalculorum ovula, et alia infinita cum rore commixta reperiuntur; Comes MOROZZO praeterea nostrae scientiarum Academiae olim Praeses (1) e rore eduxit gaz oxygenium, hydrogenium (2), et carbonicum. Unde fit, ut quibusdam in locis, nempe in uliginosis, paludosis, et similibus ros sit sanitati admodum nocuus.

44. Pruina, nix, grando, molestae evadunt sanitati tum ob humiditatem, tum ob frigidam at-

---

(1) Mémoire de l'Académie Royale des Sciences de Turin, tome premier, an 1784-85, pag. 305.

(2) Hydrogenium ab ὕδωρ aqua, et γεννάω genero. Quasi elementum generans aquam.

mosphaerae temperiem, tum ob caetera, quae cum nebulis, nubibus, rore, et imbre habent communia. Grando insuper ob vim mechanicam valdopere hominibus officere potest.

45. Turbo aqueus ab Italis dictus *tromba marina* est pluvialis cylindrica columna, quae de nubecula labens maximo impetu, in quae incurrit, omnia ruit. Hic valde periculosus contingit nautis praecipue, qui ipsum disjiciunt vel bellici tormenti, vel ferreae cuspidis ictibus; hoc enim modo dissipatur.

46. Ignea vero meteora sunt fulmen, et caetera, quae ad hoc pertinent, quaeque pro variis adjunctis vario etiam nomine distinguuntur a Physicis. Fulmen ab immani electrica scintilla non differt, et considerari potest tamquam ignis torrens, qui a nube in nubem, vel a nubibus in tellurem, vel a tellure in nubes irruit: ejus lux efficit fulgur: aër disjectus tonitru. Coeli fulminis vectores quasi, seu conductores fieri possunt elatae arbores, celsa aedificia, turresque praesertim, si acuminatae sint, et si in hisce tintinnabula pulsentur. Hinc manifestum est, quam periculosum sit, ingruente procella, ad arborum pedes, et sub elatarum aedium, turriumque tutelam confugere, tintinnabula percutere, altisque aedificiis immorari, tunc sub dio esse, vel humiliores habitare domunculas tutiora evadunt

praesidia; melius enim est madefieri, quam coeli fulmine tangi.

47. Ad meteora jure referuntur Aërolithi (1), de quibus multum disputatum est, imo dubitatum; at istos in ipsa atmosphaera compingi novissima arbitratur aetas. Aërolithi per se non nisi mechanico modo sanitati officere valent.

48. Post ea, quae de meteoris et aqueis, et igneis dicta sunt, proximum est admonere, in aëre vel siccissimo aliquid aquae semper contineri. Aër siccus generatim salubrior est; nocet tamen iis, qui humido aëri adsueverunt, aut in pulmonum labem propendent. Aër contra humidus maximopere nocet: in hoc enim aëre corpus debilitatur, et quodammodo flaccescit, aliquis tamen humiditatis gradus iis proficit, qui pulmonali labi sunt proclives, uti jam innuimus.

49. Sicuti ampliorum lacuum, et maris atmosphaeram esse terrestri atmosphaera magis humi-

---

(1) Aërolithi ab ἀὴρ aër, et λίθος lapis, veluti lapides in aëre compacti.

Petropoli quarto idus julii anno MDCCCXX, hora sexta pomeridiana quadraginta librarum aërolithus decidit: eum eduxerunt coloni e tellure, in quam pedem semis delapsus fuerat. Vid. *Gazzetta Piemontese giovedì* 19 *ottobre* 1820 *N.* 126. *Russia.*

dam, minus puram, idcirco minus salubrem, opinio fuit; ita non abs re monemus, aërem et ampliori lacu, et mari superincumbentem aeque saltem, ac terrestrem aërem, siccum, purum, atque salubrem esse, prout nos docent et navigatorum observationes, et VOLTAE celeberrimi Physici experimenta in Lario lacu instituta.

50. Atmosphaerae conditiones, quas adumbravimus, Physici variis instrumentis dimetiuntur, videlicet barometro aëris pondus; thermometro caloris quantitatem; phoometro lucis intensitatem; anemometro ventorum directionem; electrometro electricitatis statum; hydrometro pluviae quantitatem; hygrometro humiditatis gradum. Aëris autem atmosphaerici impuritates Chimici analysis ope agnoscunt, et distinguunt: instrumentum, quo ad hanc analysim utuntur Chimici, eudiometrum (1) appellatur.

---

(1) A Βάρος pondus,
θέρμη calor,
Φῶς lux,
Ἄνεμος ventus,
Ἤλεκτρον electrum,
Ὕδωρ aqua,
Ὑγρὸς humidus,
Εὐδία serenitas, quasi puritas,
et μέτρον mensura illa nomina dicta sunt.

51. Paucis demum concludamus: aër purus, serenus, siccus, moderate gravis, temperate calidus, a mari, et a flumine spirans, ruralis, apricus, leni agitatus vento, et subitarum mutationum expers, bonae valetudini proficit, secus plus minusve officit. Praecipites aëris mutationes semper, et ubique in sanitatem admodum periculosae contingunt.

Tellus.

52. In tellure, quam colimus, consideranda sunt climata (1), solum, regiones, expositiones, mutationes; nunc de singulis propere. Climata non ex geographiae, sed medicinae usu indicaturi monemus illa esse multiplices orbis terrarum plagas quinque Zonis (2), nempe torrida, duabus temperatis, et duabus frigidis, sive glacialibus comprehensas, in quibus caloris temperies gradatim decrescit, et dies, noctesque varie inaequales succedunt, prout plagae istae a linea aequinoctiali distant, et alterutro polo sunt propiores.

53. In climatibus diversis alia etiam consideranda occurrunt, nimirum variae aëris conditiones, variae soli indoles, variae vegetales, et animales species, vario etiam tum physico, tum morali charactere

(1) Clima coeli inclinatio a verbo κλίνω inclino.
(2) Zona a ζωνὴ cingulum.

homines, quibus omnibus attendere debent sanitatis administri sive pro indigenis, sive pro advenis.

54. Soli nomine comprehendimus terrarum, et aquarum naturam: ad terras spectant montes, colles, valles, planities, terrarum species, vegetalia, animalia; ad aquas maria, flumina, lacus, stagna, paludes, fontes, quae omnia in hominum aut prosperam, aut adversam valetudinem conferre alibi innuimus.

55. Regiones sunt datis finibus circumscripti loci, qui quandoque diligentissime perpendendi sunt pro peculiaribus eorum adjunctis sanitati faustis, vel infaustis.

56. Expositiones tum regionum, tum etiam habitationum variant, prout istae ad varia horizontis puncta cardinalia in primis vergunt, prout plus minusve in atmosphaeram extolluntur, et prout in viciniis varias habent jam adumbratas circumfusarum rerum conditiones salubres, vel insalubres.

57. Mutationes soli, regionum, expositionum contingunt aut naturales, aut artificiales; primae fiunt a non sat aeque calculato forsan terrae globi circuitu, a vulcanis, a terraemotibus, ab inundationibus; artificiales ab agricultura, a quibusdam artibus, publicisque institutionibus. Variationes inde prognatae locorum salubritatem, et insalubritatem immutare valent.

58. Solum igitur, regiones, expositiones, mutationes, et quae ad haec pertinent, summopere sunt animadvertenda in aedificandis domibus, pagis, urbibus, in ponendis nosocomiis, nec non in castris locandis, si istorum omnium salubritati prospicere velimus. Porro autem de illis praefatis omnibus ad veras endemicorum morborum enucleandas caussas refert utramque medicinam gerentium scrupulosissime inquirere. Ista vel pauca sufficiant ad nostra circumfusarum rerum studia dirigenda: qui vero ditiores cognitiones sibi comparare ad hanc rem voluerint, eas in scientiarum medicarum dictionario, ceu rerum omnium ad medicinam spectantium thesauro exquirant, iisque studeant praesertim sub aëris, et climatis dictione.

CAPUT II.

DE APPLICITIS.

Inter hominum corpori applicita alia sunt necessaria, alia utilia: ad prima referuntur vestes (1); cubilia; ad altera lotiones, balnea, frictiones, un-

---

(1) Fecit quoque Dominus Deus Adae, et uxori ejus tunicas pelliceas, et induit eos. *Genesis cap.* 3. 21.

Quae autem partes corporis ad naturae necessitatem datae aspectum essent deformem habiturae, atque turpem, eas

ctiones, et alia, quae munditiei, aut elegantiae conferunt.

Applicita necessaria.

59. In vestibus materies, color, forma, quantitas, mundities sunt consideranda. Vestes laneae utpote caloricum cohibentes calefaciunt; cuti applicitae blando stimulo hanc excitant, hujusque actionibus favent; prosunt propterea imbecillis, et iis praesertim, quorum valetudo facile a mutata temperie infirmatur; sunt tamen ponderosiores, et cutaneae perspirationis materiem, nec non miasmata, atque contagia facile bibunt, ac retinent. Minus vero calefaciunt ex lino, cannabe, serico, gossipio, pelle, et duris, tortis pilis contextae vestes, eoque minus, si decolores sint: album enim minime, et nigrum maxime calefaciens est. Indumenta vero ex serico, pelle, et lana, ceu substantiis *idioëlectricis* (1) valent electricitatem ciere, praesertim si nudae cuti applicentur.

---

contexit, atque abdidit natura ipsa. Hanc naturae tam diligentem fabricam imitata est hominum verecundia.

Cic. de Officiis lib. I. cap. 45.

(1) Idioëlectricus ex ἴδιος proprius, ἤλεκτρον electrum, unde electricitas; proinde substantiae idioëlectricae dicuntur, quae propria electricitate pollent.

60. Tinctilis vestium materies, quippe quae a pluvia, vel sudore dissolvi, et cute absorberi potest, ceu fortasse nocua non prorsus negligenda est in hygiene. Laxae vestes corporis incremento, humorum circuitui, caeterisque actionibus, functionibusque proficiunt. Hinc vincturae sunt cautissime adhibendae. Vestium forma saluti potius, quam usui, et elegantiae prospicere debet; vestes idcirco climatibus, regionibus, anni temporibus, et vicissitudinibus, aetati, sexui, personarum negotiis sunt accommodandae, et osseis corporis regionibus fulciendae.

61. Quot, et quantis rationibus hic reprehendere possemus complures usu, non utilitate adhibitos vestiendi modos? Ad hos referemus fascias, quibus devinciuntur tenerrimi infantes non sine istorum incommodo, sanitatisque damno: sic nempe sanguinis, caeterorumque humorum cursus turbatur, nutritio praepeditur, musculi hebescunt, et alia, quae inde consequuntur, quandoque eveniunt mala; illas ex balaenis loricas, quibus paucos ante annos praecingebantur nostrae adolescentulae, adultaeque foeminae, nuptae, et innuptae, siquidem istae loricae abdominis cavum arctant, pectoris formam invertunt, utrobique contentorum viscerum incrementa, et munia non parum laedunt; laevium foeminarum levissimas vestes çoas nuditati affines; brachia

insuper, pectus, tergumque nuda alienae modestiae, nec non propriae sanitati nocentia; elasticas fascias, corrigias, *bretelles* a Gallis dictas, quibus sustinentur braccae, nam illae fortasse ventrosos fieri homines sinunt; quasdam calceorum formas, quae modo apud nos vulgares erant, illi enim calcei angusti, acuti digitos moleste constringebant, torquebant etiam, eorum motus detinebant, saepissime clavis, aut verrucis ansam praebere solebant.

62. Vestium quantitas ea certe esse debet, quae corpus ab acriore frigore tutet, nec obruat. Perutile tamen existimamus a teneris corpus sensim frigori, caeteris coeli injuriis, laboribusque adsuefacere, atque indurare: hoc enim quantae utilitatis sit tum publicae, tum privatae, sat superque declarat ferrea illa corporis constitutio, qua olim Graeci, et Romani variis coeli vicissitudinibus, omnigenisque laboribus assueti pollebant, quaque etiam nostro aevo fruuntur Angli, Suiones, Dani, Russae inclementi coelo ruditer educati. Mundities in vestibus ea saltem sit, quae sordes omnes tum a nobis ipsis exhalatas, tum ad nos quolibet modo advectas valeat removere. Hinc subuculam, subligacula, femoralia, tibialia, pedalia frequenter mutare juvat, maximeque etiam refert quantocyus deponere vestes quacumque de caussa humefactas, et siccas induere.

63. Cubilia, et instrumenta varia, in quibus

somno quiescimus, corporis formis accommodare juvat: quapropter ex crine, plumis, lana aptissime conflantur culcitae, quae sat bene fulciuntur alteris aut ex siccis foliis, aut ex stramine conflatis. Culcitae ex lana, et plumis magis, quam ex crine, stramine, et foliis calefaciunt. Lodices, stragula, quaeque sint, pro anni tempore, rerum adjunctis a frigore muniant. Cubicula vero sint quam maxime salubria.

Applicita utilia.

64. Ad tuendam, adjuvandamque valetudinem magnopere conferunt balnea (1). Horum antiquissimus est usus: namque Chaldaei, AEgyptii, Hebraei, Persae, Graeci tum ad mundanda corpora, tum ad instaurandas vires, tum ad morbos profligandos balneis certe utebantur, sicuti monumenta referunt. Primos imo homines, aestuante coeli temperie, in fluminibus, et mari refrigerium exquisivisse prorsus credibile est. Balnea igitur, quae fama praedicat, qua late patet terrarum orbis, sunt vel composita, vel simplicia. Prima ad morbos sanandos, altera ad sanitatem tuendam, adjuvandam praesertim suscipiuntur. De his tantum dicere fert animus: in sim-

---

(1) Balnea naturaliter calida dicuntur thermalia a θερμὸς calidus.

plicibus balneis aquae communis, aut totum corpus, excepto capite, aut aliqua ejus pars solummodo immergitur. Hinc balnea dicuntur universalia, vel partialia. Hygienica balnea, quae aliquoties non nisi voluptifica sunt, distinguimus in tepida, et subfrigida: prima intelligimus quorum temperies inter 24 et 18 gradum thermometri RHEAUMUR concluditur; secunda quorum temperies intra 18 et 12. Accommodatam balneorum temperiem satius fortasse, quam thermometro metimur nostri corporis sensu, siquidem balnea suscepta tuendae sanitatis, aut percipiendi oblectamenti gratia nequaquam ingrate nos afficere debent.

65. Tepida balnea, sive moderate calida (1) respirationem perinde morantur sub prima praesertim immersione, eoque magis in hominibus valde sensibilibus; pulsum inter initia plerumque accelerant, mox retardant; cutem leniunt, molliunt, laxant, eamque mundam faciunt; cutaneae perspirationi, caeterisque cutis functionibus favent; ad frequentes mictiones incitant; absorptae aquae ope sanguinem diluunt; naturales appetitus excitant; quandoque languorem quemdam, nec ingratum

(1) Balneum βαλανεῖον sic vocatum fuisse refert D. Augustinus, quoniam βάλλει τὰς ἀνίας, idest, pellit tristitias.

quidem, et mox suavem somnum conciliant; commodam exinde, gratamque reddunt valetudinem, quae praesertim bonos balneorum effectus sat superque testatur. Incassum exquireremus, an roborantia, an infirmantia generatim sint tepida balnea; ista enim, prout sunt plus, minusve tepida, diuturna, et frequentia, prout varia est hominum valetudo, atque coeli temperies, aliquid vigoris addunt, vel adimunt.

66. Subfrigidorum actionem, utilitatem, et usum facile concipere est ex dictis: haec enim balnea non nisi propter aliquot inferiores caloris gradus differunt a tepidis. Balnea sive tepida, sive subfrigida aestivo prae caeteris tempore nos juvant, haec modo praecauti adhibeamus: in balneo non nisi peracta digestione, cessato sudore, quisque immergatur, nec ultra horam persistat; balnei temperiem suo sensui usque accommodet; balneo egrediens aequam atmosphaeram subeat: namque statim a balneo homines in primis delicati non impune aëris vicissitudines excipiunt. Ad balnea partialia referuntur *semicupia*, *manuluvia*, *pediluvia*, caeterarumque partium lotiones; istorum salubres usus ex dictis sat comprehendere valemus.

67. Frictiones praestantissima sunt sanitatis praesidia tum in compluribus infirmitatibus, ac morbis, tum etiam in declinante bona valetudine. Propterea

vere dolendum, quod nostra aetate in desuetudinem quasi abierint. Antiquae vero gentes tanti faciebant id praesidii ad tuendam, adjuvandamque valetudinem, ut illis uterentur et antea, et post corporis exercitia, atque gestiones, nec non post balnea. Fricandae cuti inserviunt nudae manus, tela, pannus, peniculum, etc. Hygienicas unctiones utpote apud nos inusitatas silentio praetermittimus.

68. Praeter hucusque recensita, quae munditiei (1), nec non sanitati magnopere conferunt, huc etiam consideranda occurrit capillorum, barbae, unguium, orisque cura. Capillitium exsudat humorem unguinosum, qui facile concrescit, et in squamas coit novae perspirationi noxias. Hinc molestae prurigines, quandoque etiam capitis morbi, et facilis pediculorum origo in pueris speciatim, et adolescentulis. Hoc igitur saepe mundandum est aut lotionibus, aut peniculo, aut pectine, aut istis simul omnibus. Varius vero capillorum cultus ad usum potius, quam ad hygienem pertinet. Hic tamen, ne istorum cultus sanitati adversetur, meminisse non

---

(1) Adhibenda est praeterea munditia non odiosa, neque exquisita nimis; tantum quae fugiat agrestem, et inhumanam negligentiam. Eadem ratio est adhibenda vestitus, in quo, sicut in plerisque rebus, mediocritas optima est. *Cic. de Officiis lib.* 1, *cap.* 46.

abs re erit, capillos, nec non caeteros pilos ad calefaciendum a natura esse tributos, et forsan ad ignem electricum, quo prae caeteris pilosae partes indigent, cohibendum. Barba de more nostro tondetur, et subsecantur ungues: non alia est eorum cura. Os a pastu colluere bonum est: ad dentium cariem, calcares concretiones, et foetidum halitum praecavendum utilia sunt collutoria ex aqua, et vino, vel ex aqua, et aceto, modicae etiam frictiones juvant, aut solo peniculo, aut coralii, et carbonis pulverati ope. En quae salubria existimamus cosmetica (1) medicamina; ea vero, quae ad faciem albo, rubicundo colore tingendam adhibentur conflata *oxidis* (2) metallicis, uti *plumbeis*, *mercurialibus*, *bismuthicis*, tamquam ridicula, sed praesertim noxia proscribimus: vultus enim formas ocyus deturpant, et gravibus cutis affectionibus originem praebent. Improbamus etiam caeteras faciei lavationes, praeter aquam, lac, aliave simplicia. Haec de applicitis sufficiant.

---

(1) Cosmeticus adjectivus derivatur a graeco verbo *κοσμέω* orno.

(2) Oxidum ab ὀξὶς ἶδος vas, in quo acetum asservatur. Hinc Chemici dicunt oxida quasdam substantias, quae acidi principium retinent, asservant, et condunt.

CAPUT III.

DE INGESTIS.

Res ingestae sunt alimenta solida, et fluida, seu cibus, et potus.

Cibus.

69. Providissima primum natura ante partum jam lac in maternis mammis praeparat infanti nascituro aptissimum alimentum. Ab infantia homo quidem pamphagus (1) est, nempe cibum capit ab animali, vegetali, et minerali regno (2). Saluberrimam quidem cum animalibus cibis vegetalium conjunctionem credimus. Minerale vero regnum ineptas ferme alendo suppeditat substantias: vix enim alit aqua: caeterae substantiae e minerali regno petitae condimento potius, quam nutritioni inserviunt. Vegetalium amylacea, animalium gelatinosa substantia nutritioni est aptissima. In alimentis consideranda praesertim sunt qualitas, quantitas, ac sumendi tempus.

---

(1) Pamphagus a graecis vocibus derivatur, videlicet a πᾶν omne, et φάγω edo: in bonam partem qui omni ciborum genere vescitur.

(2) Omne, quod movetur, et vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia. *Genes. cap. IX*, 3.

70. Res ingestae censentur bonae, quae natura, aut arte conditae palatum, et stomachum (1) recreant, et per digestionem corpori nostro facile assimilantur. Ingestorum digestio, et assimilatio eo facilius evenit, quo citius illae physicis legibus cedunt, et vitalibus digerentis organi viribus parent. Hinc liquido patet, cur mineralia nutritioni plerumque inepta evadant; cur nonnullae vegetales, et animales substantiae difficilis digestionis, et assimilationis sint; cur demum aegroti minimis, quandoque etiam nullis cibis indigeant.

71. De multiplicibus cibis tum simplicibus, tum compositis hic disserere noster haud fert animus, sed nonnulla generalia praecepta circa salubris cibi delectum, et usum dumtaxat proponemus. Cibus ergo bonus, saluberque erit, qui deligitur 1.° ex fructibus bene maturis, et molliusculis, dulcibus, acido-dulcibus, subamaris, vel aliquantulum acerbis; 2.° ex oleraceis recentioribus substantiis, nempe radicibus, caulibus, foliis, floribus; 3.° ex seminibus frumentariis, farinulentis, maturis, puris, siccatis, non nimis asservatis; 4.° ex leguminibus aut adhuc viridibus, aut maturis, et asservatis; 5.° ex carnibus, et succis animalis sani, adulti, non nimis pinguis, uti quadrupedum, avium, pi-

(1) Stomachus στόμαχος ventriculus.

scium, crustaceorum: huc referemus lac, et ova.

72. Condimenta autem ex salibus, aromatibus petita ad provocandum edendi appetitum, et ad incitandas ventriculi vires potius, quam ad nutriendum, concurrunt: sed uti alimentis non omnis incitandi virtus, sic condimentis non omnis nutriendi proprietas deest.

73. Cibi duri, sicci, et crassi prosunt illis, quibus sunt valida viscera, et celeris digestio, uno verbo athletica valetudo; molles enim, humidi, tenues iis minus conveniunt, quasi frequentiorem mensam imperent; illos vero, quibus sunt viscera debilia, difficilis digestio, vita quieta, sedentaria, otiosa, juvant cibi, sic dixerimus, arte, vel natura simillimi chylo. Incalescente temperie, acidodulcia, et acida, vel subacida alimenta proficiunt praecipue robustis hominibus; frigescente, aromatica, et calefacientia minus validis speciatim.

74. Cibi autem non nisi bene mansi sunt deglutiendi; nam si quis vorax aliter esum gerat, ventriculo plus negotii, quam ei natura imposuit, facesseret, ipsum defatigaret, et adversae valetudini occasionem praeberet. Enimvero tritum est adagium: prima digestio ſit in ore.

75. Cum non omnibus quidem certa ciborum mensura ad sanitatis normam congruat, siquidem aetas, sexus, clima, vivendi genus, et innumera

rerum adjuncta majorem, minoremve cibi copiam exposcunt, nimis edere dumtaxat dicemus illum, qui pro hisce rationibus cibi plus, quam ferre valeant digerentes vires, sumit.

76. Qui autem a cibo nimis se abstinet, illius stomachus, totumque corpus languescit; stomachus enim ob detractos assuetos stimulos auctiorem acquirit sensum, et corporis constitutio inde male afficitur. Qui demum, omisso jentaculo, et coena, prandet solummodo, sanitati minus consulit; siquidem melius est stomacho saepius pauca, et moderata offerre, quam raro eum ingenti sarcina onerare. In prandio, et coena salubre est bibere, et quidem nec multum vinum, nec solam aquam: in digestionis opere mens sit libera, quieta, et tristibus praecipue affectibus expers, nec defatigatum corpus.

Potus.

77. Liquores potui idonei de more nostro sunt aqua, cerevisia, vinum, aquae ardentes, et *caffè, thè, cioccolato* ab Italis dicta. Aqua sit frigida, limpida, levissima, inodora, insulsa; cerevisia sit bene fermentata, et defoecata; non secus vinum; aquae ardentes, sive alchoolisati liquores sint bene cohobati, grateque saccharo, et aromate commixti; bonae qualitatis sint *caffè, thè, cioccolato*; potiones

autem ex *thè*, et *caffè* sint et recenter infusae. Nunc, quod istae sat notae potiones praestent, id brevi perstringimus.

78. Aquam potui aptissimam hominibus largitur natura: illa sitim potissime extinguit, solidos cibos diluit, solvit, nimium incitas vitae vires moderatur. Hinc minus congruit debilibus, senibus, et iis, quibus infirmus est stomachus.

79. Cerevisia (1) ob saccharinam substantiam, acidum carbonicum, et subamarum extractum egregie expedit ad vitae vires aliquantulum vellicandas, ad sitim extinguendam, et digestionem promovendam, sed iis, quibus fractae sunt vires, non omnino convenit.

80. Vina genere, specie multiplicia moderato usu quidem prosunt, abusu autem varie obsunt. Vinum generatim saccharina substantia, acido carbonico, et tartarico, alchoole, adstringenti principio scatens generosam constituit potionem: vina saccharinis substantiis affluentiora magis palato sunt amica, satiusque nutritioni inserviunt; ea, quae

---

(1) Cerevisiae nomen fortasse detortum est de cerealibus ob id, quod ex hisce paratur. Hoc potionis genus dicitur etiam caelia, ceria, zythum graece ζύθος, potus nempe ex hordeo aqua resoluto confectus, acris gustu, et vini in morem inebrians, quod vocatur et βρύτος.

acidis abundant, stomacho utplurimum officiunt, nec a pluribus noxiis vacua sunt; quae vero scatent acido carbonico, gustum vellicant, mordent; quo plus alchoolis inest vinis, eo magis haec calefaciunt, vitae vires erigunt, atque ebrietatem producunt; austera vina, scilicet, quae adstringentis principii quiddam ex uvis, et racemis affatim servant, alvum coërcent, et stomachum potissime firmare valent; nimis demum generosa, et fervida, sive et alchoole, et adstringenti principio exuberantia extemplo etiam palatum exsurdant.

81. Vina igitur bona, et salubria dici possunt, quae bene defoecata sunt, et vetusta, quibusque dicta elementa aequabili ratione sunt commixta. Hujusmodi sunt in subalpinis nostris provinciis Segusina, Casalensia, Aquensia, Albensia, Astensia prae caeteris vina, quorum modicus usus sanitati prodest, et quidem maxime in provectiore aetate. Infantes, et adolescentuli vinum utplurimum haud expetunt, quasi naturae consilio; hos enim illud minime juvat. Quae nimia sit vini copia quisque per se sat facile praesentire valet. Vos hic monere sufficiat, vinosissimos homines continua nervei systematis incitatione mentis functionum turbas, malas digestiones, nervorum, et musculorum distensiones, tremoresque pati, et tandem hebescere.

82. Liquores alchoolisati, licet saccharo, et aro-

mate grate commixti, sunt tamen ab ordinario potu proscribendi, uti nimis calefacientes, et quammaxime noxii: isti ceu incitantia quasi remedia non raro puri adjuvant senes, fessos milites, nautas, aurigas etc.; gratas nec non aliquantisper incitantes potiones aqua commixti efficiunt.

83. Quae e tostis coffeae seminibus, et quae theae foliis parantur calidae potiones saccharo dein edulcatae, tum ob fragrans subtilissimum oleum aethereum, tum ob extractum subamarum, adstringens, stomacho sunt gratae, digestionem juvant, nerveum systema incitant, perspirationem movent, totumque corpus fociliant; minus tamen conveniunt macilentis, et sanguineo, aut nervoso temperamento praeditis, qui postremi speciatim ob istarum potionum abusum facillime morbis a nimia nervorum incitatione provenientibus obnoxii fiunt.

84. Quaedam ex cacao, et saccharo confecta massa, et aromatibus, vanilla plerumque, aut cinnamomo condita chocolatum dicitur, quod aqua solutum, coctum, et calidum plerumque reficientem potionem constituit, Italo nomine *cioccolato*, Gallico *chocolat*: chocolati massa melius quam potio generatim digeritur, haec vero quibusdam stomachis inimicissima est forsan ob id, quod oleosum, et pingue cacao principium tunc liberius evadit. Ideoque chocolati potio non aliter fortasse,

nisi ob indigestibilem ejus qualitatem insalubris esse potest.

85. Cavendum denique est, ne cibi, et potiones praesertim vel saluberrimae vasis servatae de istis aliquid noxii, aut venenati detrahant, et sibi usurpent: plumbei puta aquaeductus venenatam aquam reddere possunt; cibi, potusque omnes admodum noxii fiunt in vasis plumbeis, et cupreis servati. Sint ergo vasa, in quibus excipiuntur, vel servantur alimenta, figulina, vitrea, stannea, ferrea etc.; quae vero cuprea sunt, bono stanneo ferrumine intrinsecus obducantur.

86. Copia cibi, potusque cuique aequa est, si eam refectionis, non torporis sensus consequitur. Alimentorum pro viribus temperantes generatim incolumes, prosperi, longaevique fiunt. Ex paucis dictis alimentorum delectus, et usus ratio ad sanitatem tuendam, adjuvandamque facile eruitur. Haec autem aetati, sexui, temperamento, climati, consuetudini, laboribus, studiis aptetur prudenti semper consilio.

CAPUT IV.

DE EXCRETIS.

87. Excreta sunt, quae secundum naturae leges e corpore eliminantur. Excretiones ideo naturales nos hic attendimus, quarum aliae ordinatae, aliae inordinatae eveniunt: primae, nempe ordinatae, sunt vel continuae, uti perspiratio cutanea, et pulmonalis; vel hodiernae, uti faecum, et lotii dejectiones; vel periodicae, uti catamenia (1): secundae, inordinatae nimirum, sunt lochia (2), spermatis (3) ejectio, lacrymarum fluxus, salivae expuitiones, lactatus. Quae postremae excretiones non nisi in datis vitae adjunctis contingunt.

88. Sanitas non integra servatur, nisi in recto excretionum modo, ita ut, si in corpore retineatur quod excerni debeat, aut excernatur quod retinendum sit, corporis constitutio semper a firma vale-

---

(1) Catamenia *καταμήνια* graeca vox composita ex *κατὰ* secundum, et *μὴν*, *μηνὸς* mensis, significat sanguineas expurgationes, quae mulieribus eveniunt secundum mensem, hoc est quot mensibus. Hinc latine menstrua.

(2) Lochia dicta sunt puerperarum expurgationes a *λοχὸς* puerpera.

(3) Sperma *σπέρμα*, latine semen.

tudine declinet; nam materies primi generis retentae, licet etiam per se bonae, attamen valetudini nocentes evadunt; alterius generis excretae aliquid saltem sanitati utilis subtrahunt: naturalibus excretionibus jam in Physiologiae Schola traditis nonnulla hic subdemus de recta earum ratione assequenda.

89. Vestes prae caeteris accommodatae anni tempestatibus, coelique vicissitudinibus favent perspirationi, nec non excretionibus omnibus, hasque incitant potus excitantes, corporis exercitia, frictiones etc. Si nimium contra adaucta fuerit perspiratio, moderanda est quiete, leviorum indumentorum usu, atque refrigerantibus potionibus.

90. Quanta sanitatis pernicies suppressam perspirationem consequatur, res est extra dubitationis aleam. Non tamen abs re inquiritur, utrum suppressa tantae utilitatis functio ob retentas materies, an ob male affectas proprietates vitales, a quarum laesione primitus perspiratio supprimitur, sanitati officiat, et complura mala progignat. Nihil quasi conjunctos utriusque laesionis modos admittere vetat, si animo perpendamus, reapse non supprimi perspirationem, quin in primis male afficiantur vitae vires, quarum laesio consequentibus etiam malis ansam praebere valet; et reapse non retineri perspirationis materies secundum providissimae naturae

leges exercendas, ceu superfluas, aut noxias, quin ab istis vitales etiam proprietates magis, magisque laedantur, proindeque complura quoque exoriantur mala: ex quo aperte liquet, a suppressa perspiratione secundam valetudinem in adversam proxime abire, et multa mala inde suboriri ob utrosque conjunctos laesionis modos, nempe et ob male affectas primitus vitae proprietates, et ob retentas perspirationis materies. Profusa vero cutis perspiratio, sudor videlicet ob nimiam subductam aquam humores cogit, caeteras secretiones minuit, corpus elumbat, multimodis uno verbo sanitatem laedit. Insita demum sudandi consuetudo vel incommodis, et morbis a suppressa perspiratione provenientibus facillimas occasiones praebet.

91. Faecum, et lotii excretionibus semper est obsequendum; quoniam mala ab istis retentis provenientia sat comperta habemus: non enim desunt exempla eorum, qui, diutius retentis faecibus alvinis, in graves colicas, quandoque etiam prompte fatiferas abierunt, solos imo flatus continere non vacat periculo. Alvi autem excretiones promoventur a corporis exercitationibus, et praesertim a deambulatione, nec non a laxantibus cibis. Non minus gravia incommoda progignit retenta urina, quam revocare valent fotus, et tepida balnea, ni tamen aliquod obsit materiale praepedimentum.

92. Normalia catamenia sunt bonae foeminarum valetudinis mensura: quasdam tamen mulieres novimus admodum floridas, formosas, sanguineo temperamento donatas, sed infoecundas, et caeteroquin sanissimas, in quibus illa usque desiderata fuerunt. Uti frigus, desidia, inedia, animi pathemata quaecumque, et tristia praecipue menstruum sanguinis fluxum aut retinere, aut supprimere valent; sic calida *pediluvia*, balnea, labores, deambulationes, equitationes, opimae, hilaresque mensae illum revocant, promovent, nec non profusiorem aequo aliquoties reddunt. Istae causae omnes vel lochia adaugere, minuere, et supprimere sunt potis.

93. Spermatis (sanguinis balsami) secretionem, et excretionem incitare non nisi ad aptos usus, numquam ad effraenam libidinem religio sit: non enim a retento spermate tot, tantaeque proficiscuntur sanitatis noxae, quas licentiosorum turba tam inverecunde dictitat. Imo persuasissimum nobis est, aliquid hujusce retenti humoris in bene valentibus hominibus continuo absorberi, atque resumi ad virile robur servandum, augendumque. Si quid mali forsan ob retentum sperma contingere potest, id erit testium, et vasorum spermaticorum dolor, atque tumor a nimis incitatà illius humoris secretione potius, quam a sola retentione producti: siquidem affluentiori spermati dare viam scit provi-

dissima natura, insontibus nobis. E contrario autem hominibus affatim sperma profundentibus certe perdita valetudo succedit.

94. Lacrymarum fluxus, nempe fletus, gaudio, saepiusque moestitia animum nimis commoventibus cietur: proinde, quoad caussa potest, bene aut male valetudinem afficiunt lacrymae; sed tristium etiam lacrymarum diluvies animum moerore gravatum quandoque levat, exonerat. Hinc flebilium carminum princeps:

. . . . Est quaedam flere voluptas,
Expletur lacrymis, egeriturque dolor (1).

Profusae demum lacrymae oculos etiam labefactare valent.

95. Nimiae expuitiones noxiae evadunt per digestionis praecipue periodum, quoniam ad istam perficiendam functionem non parum conducit salivae deglutitio. Hinc qui mala consuetudine salivam assidue excreant, ciborum appetitum amittunt, et in marcorem conjiciuntur. Non ita dicendum est de tracheae muco, quem haud aliter ac narium mucum expellere et decet, et juvat.

96. Secundum naturae nutum, imo consilium, matribus est salubre officium lactandi, nec non omnimode curandi infantes, pueros, qui ab ipsis procreati sunt;

---

(1) Ovid. lib. IV. Trist. eleg. III. vers. 37, 38.

suis enim non vacat incommodis, atque morbis retentum lac; suis etiam utilitatibus hinc et illinc abundat ipsa puerorum cultura.

CAPUT V.

DE GESTIS.

97. Huc referemus vigiliam, et somnum, motum, et quietem: vel haec ad bonam valetudinem sunt dirigenda.

Nos vigiliam intelligimus eum hominis statum, in quo mutationes in organa sensuum inductae a corporibus circumpositis repraesentantur menti nostrae, et quasi ab hac apprehenduntur. Somnum e contrario intelligimus eum hominis statum, in quo mens, sensus, motusque voluntarii feriantur, atque quiescunt, adeo ut animus nec percipere, nec agere sua voluntate valeat. Idcirco somnia vana sunt excipienda, utpote quae a voluntaria animi actione non dependent. Motum hic nos generatim sumimus pro quibuscumque corporis exercitiis, laboribusve. Quietem vero pro corporis, animique laborum remissione. En quid intelligendum sit pro vigilia, pro somno, pro motu, pro quiete in nostro praesertim hygienico sensu. Haec omnia sicuti salubria, aut insalubria evadere possunt pro vario

illa adhibendi modo; ita quomodo sunt dirigenda in sanitatis normam scrutari non parum refert.

98. Vigilia intra datos modos et fines exercita homini sit pro sexu, temperamento, aetate, consuetudine, etc.; protracta vigilia corpus, mentemque defatigat, hinc somnus necessario consequitur; immodica vero valetudinem facit ingravescentem, et intellectus prae caeteris facultates turbat, unde abnormes perceptiones, hallucinationes, vertigines, deliramenta, et insomnia accidunt.

99. Ut protracta vigilia corpus, animumque lassat, sic somnus reficit; hunc conciliant tenebrae, ideo natura noctem somno assignasse videtur: debilibus tamen, et defatigatis vel salubres sunt non multum protracti somni pomeridiani praecipue in calidis plagis, et tempestatibus; nocturni vero somni ad novem circiter horas protrahi queunt; hisce pueri, adolescentuli, foeminae, et studio dediti viri magis indulgeant, nec non debiles homines. Nimium autem protractus somnus animales vires obtundit. In somno corpus decumbat commodum, omnique vinculo relaxatum.

100. Bene cessisse somnum testantur animi vivacitas, et corporis refectio, quas sponte et bene expergiti homines experiuntur: nec silentio praetermittemus, optimum esse summo mane surgere, quum aurora laboribus, studiis sit amica, curas

levet, et animi vigorem, hilaritatemque pariat, ac servet, nec non corporis sanitatem magis magisque confirmet. Tantam esse aurorae salubritatem existimat non vulgaris consilii vir CURTIUS SPRENGEL (1), ut se nullius longaevi hominis meminisse affirmet, qui bene mane surgere solitus non fuisset.

101. Motus distinguuntur in generales, et partiales. Primi sunt vel activi, ut deambulatio, cursus, chorea, saltatio, gesticulatio, natatio, pugillatio, etc.; vel passivi, uti gestationes, vectiones, navigationes; vel mixti, uti equitationes, aurigationes. Alteri, partiales videlicet, sunt semper activi, uti cantatio, sonitus, et nonnulla ludorum genera, puta chartarum, scruporum, taxillorum, latrunculorum, etc.

102. Generales motus, quam partiales, activi, quam passivi utiliores sunt benevalentibus: hujusmodi motibus, seu exercitationibus insuper addendum est aliquid oblectationis, quam quique ex istis producere valet pro vario hominum ingenio.

103. Convenientia corporis exercitia, sive motus generatim functionibus omnibus favent, corporis constitutionem roborant, ac firmant, animique vim augent, et alacriorem faciunt: proinde lenes dimo-

---

(1) Instit. Med. tom. III. cap. II. sect. IX. §. 173. pag. 321. edit. Amstelodami.

tiones accommodantur infantibus; lusus crebri potius, quam validi motus pueris; diuturniora, ac magis laboriosa exercitia adolescentibus, et juvenibus, qui postremi sic quidem nominantur, ex eo quod haec aetas maxime sit apta ad armorum labores tolerandos, quibus patria juvatur; moderati motus viris, moderatioresque senibus. Juvat quoque remissius corpus exercere aestate, quam caeteris anni temporibus; aliquid tamen excipiendum est pro corporis constitutione, atque consuetudine. Inconvenientia exercitia, nimirum quae corpus, mentemque defatigant, primam vitae viribus labem inferunt, et, quod inde sequitur, sanitatis detrimentum producunt.

104. Corporis exercitationum utilitates et privatas, et publicas graeca vetustas praesertim novit. Hinc publicos gymnasticos (1) ludos ad corroborandum, non secus ac ad erudiendum literarios illa fortasse primum constituit. Nec muliebris quidem sexus ab eis corporis exercitationibus excipiebatur: enim vero Lycurgus cuipiam percunctanti, qua de causa fatigaret etiam virginum corpora cursibus, luctis, discorum, ac telorum jactibus, respondit Spartiatum legislator 1.° ut foetuum pro-

---

(1) Gymnasticus γυμναστικὸς exercitatorius a γυμνάζω exerceo, unde γύμνασμα exercitatio etc.

seminatio ab ipsa statim radice validum in validis corporibus initium sumens recte germinet; 2.° ut ipsae virgines in perferendis partubus suo tempore valeant facile, et generose certare adversus pariendi nixus, doloresque; 3.° ut, si qua incidat necessitas, possint et pro liberis, et pro patria pugnare foeminae. Probe intellexit vir prudens, quanta rerumpublicarum pestis sit otium, atque ignavia; pariterque intellexit corpora et firmiora, et robustiora fieri aptis laboribus, nec non exercitationibus. Quapropter ne virginibus quidem concessit, ut in otio vitam degerent; sed has masculinis exercitiis quodammodo in masculos convertit, dum ex adverso in plerisque civitatibus per delicias, ac luxuriam masculi transformantur in foeminas.

105. Quies est ad motum, uti somnus ad vigiliam, sed non nisi in somno perfecta quies, nempe corporis, animique laborum remissio. Sanitati magnopere prosunt vigilia et somnus, motus et quies ad indicatas leges alternata; nimia vero quies musculorum (1) in primis *contractilitatem* hebetat, quia non exercitae vitae vires languescunt, et in articulis praesertim humorum stases producit. Unde non

---

(1) Musculus a μῦς mus sic dictus vel quod excoriatum murem forma imitetur, vel quod pisci, quem musculum appellant, similis sit.

tam raro est homines videre propter ambulationis desuetudinem desidiosos fieri, aut potius gressibus quasi ineptos; minus autem raro alteros est observare, qui ob motuum parsimoniam laxi, pallentes, adipe farcti, et lenti evadunt; ob nimiam quietem sanguis ipse tardius apprime movetur in venoso systemate (1), unde secretiones imperfectae, excretiones tardae, ac detentae, digestiones malae, totumque corpus infirmum. Aequissimo igitur jure CELSUS inquit: (2) « ignavia maturam senectutem, » motus longam adolescentiam reddit ». Hinc vere hygienicum existimamus mahometanae religionis praeceptum, quo segnes illae percalidorum climatum gentes ad aliquid manuarii artificii exercendum, nec non ad peregrinationes statis temporibus suscipiendas obstringuntur. Si vero valde occupatis hominibus, quod velint, non liceat, quod possunt, velint, omnemque exercitandi corporis opportunitatem sedulo arripiant.

106. Licet ad erectum statum nos creaverit summus mundi Opifex, et Rector, sicuti jam cecinit Sulmonensis Poëta (3):

---

(1) Systema σύστημα ex verbo συνίστημι constituo, unde σύστημα constitutio, collectio.

(2) Lib. I. cap. I. pag. mihi 40.

(3) Metamorphosis lib. I. cap. IV.

Pronaque cum spectent animalia caetera terram,
Os homini sublime dedit, coelumque tueri
Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.

Ille tamen status nimium protractus bonae valetudini adversatur: tunc enim sanguis pondere deorsum premens crurum et pedum vasa implet, et tumefacit; ille autem sic in supernis partibus deficiens inania quasi pectoris, capitisque viscera facit, non sine sanitatis pernicie, ex quo, et ex defatigatis musculis quiescendi sedibus necessitas succedit. In sessionibus homines sint commodi, caveant, ne abdomen, pectusque premantur praesertim opere faciundo.

CAPUT VI.

DE PERCEPTIS.

107. Inter res animo perceptas accensemus animi affectus, et functiones mentis. Nos haud amplissima tantae doctrinae spatia dimetiemur; sed rem primoribus labiis attingemus, quoad sanitati prosunt, aut obsunt tum animi affectus, tum mentis functiones, quae multo magis, quam hominum vulgus videt, in valetudinem quidem possunt.

108. Homo sentiendi facultate ad sui conservationem praeditus jucundos, et molestos sensus ani-

nadvertit adeo, ut voluptatis, et doloris ope ei ribututn sit utilia assequi, damnosa effugere; propterea nemo inficias ibit, voluptatem esse sanitati amicam, dolorem inimicum. Ex quo fit, ut facile animi affectuum, mentisque functionum salubritas, vel insalubritas inferri possit.

109. Cuncti animae affectus a voluptate, aut dolore dimanant, iisdemque continentur. Hinc qui a prima, uti gaudium, amor, spes, desiderium, etc. intra datos modos, et fines sanitati proficiunt; qui vero ab altero fluunt, nempe odium, moestitia, terror, metus, etc: magis, minusve eidem officiunt. Ratione igitur, qua excellimus, animi affectus dirigamus, et moderemur, ne isti in perturbationes abeant. Inter animi affectus alii aliis sunt vehementiores in utroque genere, nempe sive a voluptate, sive a dolore dimanent; alii rursus in utroque etiam genere excitant vitae vires, alii deprimunt: ad excitantes animi affectus, aut pathemata (1) referendum est gaudium, amor, spes, odium, ira, etc.; ad deprimentes moeror, metus terror, desperatio, etc. Vehementiora ista pathemata quando in perturbationes abeunt, et maxime si inopinatos nos percellunt, summopere sanitati offi-

(1) Pathema πάθημα, quod quis patitur, videlicet affectus, affectio, a verbo πάσχω patior.

ciunt animum ita obsidendo, ut illico sensus omnes quasi sufflaminentur, corpus exanimetur, et verá repentina mors etiam insequatur.

110. Non secus ac animi affectus mentis functiones, utpote jucundae sanitatem juvant, et utpote ingratae laedunt. Nos enim nostris studiis lubenter susceptis, nostra eruditione, nostris bene excogitatis, et partis magnopere fruimur, atque gaudemus, veluti opimo animi pabulo: nos contra nostra inscitia, imperitia, nostroque errore moeremus. Si ergo nescire, falli, errare indecens, atque molestum est; si contra recte sapere, rerum cognoscere caussas, rationesque gloriosum, et utile, illa horreamus, haec assequamur. Intellectus tamen functiones, videlicet perceptio, imaginatio, memoria, attentio, contemplatio, reflexio, etc. nimis diuturnae secundam animi, corporisque valetudinem infirmare valent, istis tamen variatis quandoque reficimur, ab his demum animum remittere, solatioque dare fas est.

111. Post quae de gestis, et perceptis delibavimus primoribus labiis, considerandae occurrerent artes liberales, illiberalesque, officia, occupationes, studia, in quarum rerum universitate ordines civium quidem omnes continentur; sed institutum nostrum de hisce speciatim disserere vetat. Ex traditis tamen rudimentis jam aliquid colligere possumus,

ex tradendis vero ab alteris Professoribus reliqua, et uberrima procul dubio colligentur, quae bonae cujusvis ordinis civium valetudini proficere valeant.

112. Nos tamen de studiorum ratione perpauca saltem trademus, ne prosperae discipulorum inprimis nostrorum valetudini studia officiant, et ut caeteroquin ex hisce multum emolumenti sibi ipsis, et suis civibus comparent Chirurgiae studiosi. Quod si èt aetati, et ingenio aequabilis studiorum ratìo sanitatem potius juvat, quam laedit, contra quod nonnulli studiorum obtrectatores affirmare audent; attamen quomodo, et quibus nocere possint studia, brevi indicabimus. Primo quidem noxia est animi contentio, quae admodum ingrata cedit; nimis abstractarum rerum studia mentem vexant, et torquent; si a nimis diuturno studio incitatur cerebrum, caeterorum viscerum functiones infirmantur, et prae caeteris digestio. Antelucana studia (experientia, et ratione duce) melius quam vespertina, et nocturna succedunt; post epulas demum quam maxime insalubria evadunt studia; tunc enim digestioni potius vacare, quam oculos, mentemque intendere juvat. Ad ista monita animo attendamus, nostrumque sit, prout fert sanitas, seriam usque operam navare chirurgiae studiis, ut haec nobis, totique humano generi sint suo tempore uberrime profutura.

Conclusio.

113. Nunc Hygienes monita cum Celso, sed pro nostro vivendi modo brevissima conclusione perstringimus. Sanus homo, qui et bene valet, et suae spontis est, nullis obligare se legibus debet, nec medico egere; persaepe bene mane surgere, et, si necessitas fuerit, redormire; longis autem diebus meridiari, et, ubi experrectus sit, paullum intermittere. Hunc oportet varium habere vitae genus: modo ruri esse, modo in urbe, saepiusque in agro, navigare, venari, quiescere interdum, sed frequenter se exercere. Prodest etiam aestivo tempore balneis uti; nullum cibi genus fugere, quo populus utatur; interdum in convictu esse, interdum ab eo se retrahere; interdum aliis, quae sunt, oblectationis generibus se modice recreare, et nimias semper concupiscentias coërcere.

114. At imbecillis, iisque, quos interdiu vel domestica, vel civilia officia detinent (quo in numero magna pars urbanorum, omnesque pene cupidi literarum sunt), nec non artificibus omnibus, pretiosisque agricolis observatio major necessaria est, ut, quod vel corporis, vel loci, vel studii, vel laboris ratio detrahit, cura restituat.

115. Hygienem privatam, et publicam distinguunt nonnullae Medicinae Scholae: illa hominum, haec civitatum sanitati prospicit; at siquidem ex homi-

nibus civitates conflantur; ex privata ergo hominum hygiene publica civitatum hygiene, ni fallimur, plane, recteque consequitur.

116. Quae hic paucis redegimus in sani hominis normam, hygienica praecepta aegrotis, et convalescentibus aptari etiam poterunt. Ista propterea et in therapeuticis elementis rursus erunt consideranda, satiusque autem in clinicis scholis ad rem perdiscenda.

PATHOLOGIÆ

PRÆFATIO.

117. A graecis vocibus πάθος affectio mala, perturbatio, et λόγος sermo dicta est pathologia. Haec ideo sermonem de malis corporis affectionibus significat, et a rerum medicarum auctoribus definiri solet disciplina, quae agit de mala, sive de infirma valetudine, quemadmodum physiologia de firma, ac prospera.

118. Firmam valetudinem faciunt integra corporis structura, et vis vitae valida; ex hisce utravis laesa illam infirmam reddit. Verum quo satius intelligamus, quomodo a firma valetudine deflectentes homines in infirmam abeant, refert aliquantulum id evolvere.

119. Ut homo non solum incolumis servetur, sed ejus species perennitati etiam mandetur, a natura cautum est perfectissimo sane instrumentorum artificio, et mirificissima prorsus, ac incomprehen-

sibili eorum vi. Hinc singulae animati humani corporis partes, si inter se conveniant et structura, et vi, et officiorum vicissitudine, firma servatur valetudo, si quae illarum contra aliquo modo inter se discrepent, haec statim a sua firmitate declinat.

120. Istae licet singulae partes peculiari quasi vita fruantur, ac propriis usibus sint addictae, aliae tamen aliis aut propius, aut remotius inserviunt, et universae omnes ad generalis vitae integritatem conspirant, adeo ut unaquaeque ex illis vel minus graviter male affecta alias etiam, saepe complures, quandoque totam corporis constitutionem istius malae affectionis participes faciat, et quidem eo citius, eoque magis, quo majoris momenti usibus est dicata pars primitus laesa, et quo plus, minusve gravis est ejus laesio.

121. Quae istum incolumis vitae concentum, sic dicamus, turbare valent, potentiae fiunt res ipsae *connaturales*, videlicet quae ad vivendum homini sunt necessariae, aut apprime utiles, sicuti in hygiene indicavimus, si non recta ratione ipsae adhibeantur; aliae praeterea res sunt quasi per se noxiae, si corpus nostrum percellunt.

122. Quoniam firmam valetudinem, seu sanitatem in hygiene definivimus vitae conditionem, in qua actiones, functionesque ad naturae leges commode persolvuntur, infirma e contrario valetudo, seu in-

valetudo, seu infirmitas, seu *diathesis morbosa* (1) (quibus nominibus idem significare intendimus) definiri debet vitae status, in quo actio, vel functio aliqua, aut complures simul ex istis praeter naturae leges aegre peraguntur. Siquidem infirma valetudo morbum, et convalescentiam complectitur, interest etiam unam, et alteram definire.

123. Morbus igitur est ille infirmitatis gradus, in quo sive fluidorum natura, vel copia, sive solidorum structura, sive vitae vis adeo primitus sunt laesae, ut actiones, functionesque vitae aegrius, quam in simplici infirmitate peragantur; ideoque iste infirmitatis gradus, seu morbus per quasdam certas notas adeo conspicuus evadit, ut alter ab altero discerni sat facile queat.

124. Nos a morbo infirmitatem distinxisse aptissimum duximus. Quoniam infirmitas proprie significat invaletudinem, non morbum, non aegrotationem. Quod et videre est apud latinitatis scriptores, et apertissime patet ex Celsi lib. 1, cap. 3, qui hoc habet: *quum omnibus morbis obnoxia ma-*

---

(1) Diathesis διάθεσις dispositio, praedispositio, inclinatio, proclivitas morbosa, nempe ad morbum: ex verbo διατίθημι dispono: διατίθημι vero ex διὰ praepositione, quae latine valet *dis* in verborum compositione, et τίθημι pono.

xime infirmitas sit. Hoc patet etiam ex infirmitatis definitione, quam habemus in scientiarum medicarum Dictionario hisce verbis conceptam: « infirmité, *infir-» mitas, infirma corporis constitutio*, est cet état de » santé incertaine, dans lequel une ou plusieurs » fonctions de nos organes, dont l'exercice plein » et entier constitue la santé, éprouvent du déran-» gement, de l'affaiblissement, et sont dans un » état tout voisin de la maladie ».

125. Convalescentia est infirmitatis status morbum subsequens, in quo effetae a terminato morbo vitales vires sensim, sensimque eriguntur, ut actiones, functionesque ad naturae leges, et fines conformentur, atque imbecilla valetudo reficiatur.

126. Hominis proinde vitam in quatuor quasi conditionibus, nimirum sanitate, infirmitate, morbo, et convalescentia contineri non immerito considerant Pathologi. Quum vero infirma valetudo, et ea omnia, quae ad hanc pertinent, sub Pathologorum ditione sint, nos hic brevi, pressoque sermone perpendemus 1.° infirmitates, 2.° morbos, 3.° caussas, 4.° symptomata, 5.° signa, 6.° periodum, 7.° crises, 8.° convalescentiam.

CAPUT I.

DE INFIRMITATIBUS.

127. Infirmitates vel fluidorum ingenii, et copiae, vel solidorum texturae, et vis laesione insident. Hinc nostri corporis fluida, quibus profecto maximum est momentum in sustentanda sana vita, si malis principiis inficiantur, si propriis elementis non aequabili ratione constent, si exuberantia, aut inopia peccent, tunc minus apta suis obeundis officiis evadunt: ideoque ille prosperae vitae concentus turbatur, et firma prius valetudo abit in infirmam. Si solida plus, aut minus quam par est cohaereant; si intima eorum compositio, compages a naturali conditione recedant; si divina illa quaedam flamma, (vitae vis) qua illa animantur, magis, aut minus aequo incendatur, commoveatur in qua data parte dumtaxat, aut latius, ea quidem vitae actionum, functionumque congruentia, a qua sanitas pendet, tunc desideratur, et illico infirmitas suboritur.

128. Non desunt qui primam infirmitatum originem soli vis vitalis perturbationi adscribunt: nos vero istarum discrimen eo pacto definivisse sat utile existimantes quaestionem non adgredimur, sed de infirma fluidorum, ac solidorum conditione, seu

morbosa diathesi aliquantisper disserere prosequemur.

129. Fluida praesertim primaria, uti sanguis, lympha, ob redundantiam, ob inopiam, ob inaequabilem elementorum proportionem, ob imperfectam istorum mixtionem, nec non ob alicujus mali principii additamentum vitiari, nobis est persuasissimum. Quum illi certe humores animatis solidis idoneos stimulos, et nutricia elementa suppeditent; quum secundarios alios aptis usibus dicatos humores praebeant, nec non alios ceu superfluos, aut noxios excernendos; quum et alia sufficiant tum primarii, tum secundarii humores, par est credere, ab istis quomodocumque depravatis peculiares produci infirmitates, quas sedulo intendat Pathologus necesse est.

130. Solida aliquoties ob nimiam laxitatem, aliquoties ob nimiam compactionem, aliquoties ob immutatam, perturbatam intimam compagem depravari nemo inficias ibit, neminemque fugit, has solidorum infirmas conditiones praeferre ad complures morbos proclivitates, quibus sat crebro Chirurgis praecipue est directo prospiciendum. Vitalem etiam solidorum debilitatem perpendere in pathologia summi momenti est: haec definiri potest absoluta virium vitalium efficientia imminuta. Directam debilitatem ab indirecta nuperi Pathologi distinguunt: prima ab agentium in vitae vires imbecillitate, aut

parsimonia; altera a nimia istorum efficacitate, aut copia procedit. Generalem, et specialem debilitatem admittere etiam possumus. Haec speciali tantum vitae vi, organo, aut systemate insidet, ita ut vis motricis, sensiferae, *vegetativae*, nec non ventriculi, oculi, systematis cellulosi, musculosi debilitas habeatur; illa ex specialibus debilitatibus omnium fere vitae virium constat, totam corporis constitutionem implicat, ac tenet, vitaeque tandem finem imponit.

131. Debilitas virium vitalium cum istarum oppressione, sive praepedito exercitio sat facile ab incautis confundi potest, ideoque una ab altera prudentissime est distinguenda. Virium debilitatem patefacit absentia caussarum illas opprimentium; oppressio contra ab istarum caussarum praesentia dignoscitur. Rem exemplis illustremus: si sanguis cerebrum, vel pulmones petat nimia copia, opprimet istorum viscerum vires per se nequaquam debiles; si cataracta visionem praepediat, caecitas inde suborta minime erit derivanda a nervi optici debilitate: e contrario si cerebrum, si pulmones opprimentibus causis destituti languida laborent virium efficacia, haec viscera dicenda sunt debilia; si oculus, nullo obstante impedimento, visionem non exerceat, opticus ejus nervus jure debilis est judicandus.

132. Vitale robur Pathologis est quoque considerandum. Hoc, nimirum valida vitalium virium omnium actio in universa corporis constitutione aequabilis, nequaquam nimium est, nec infirmum sistit statum: sicuti enim firma, ac prospera valetudo in actionum, atque functionum congruentia innititur; ita vel validissimum vitale robur, quum in universa corporis constitutione sit aequabile, semper aequabiles, et congruentes actiones, functionesque omnes producet, et hac ratione robustissimum, non infirmum hominem efficiet, cui aequabile, et generale hoc robur sit validissimum. Vitae autem incitatio inaequabiliter sollicitata, videlicet specialis sive cujusdam vitalis vis, sive alicujus systematis, sive cujusvis organi inaequales, ac incongruentes exerit actiones, functionesque, proinde infirmitates progignet, non vitale robur.

133. Hisce praemissis non tam obscurum fiet, de infirmitatum speciebus nonnulla indicare. Infirmitates, quae ad fluida referuntur, aut in eorum inopia, aut in exuberantia consistunt, aut specificae dici possunt ex eo, quod specificis humorum vitiis insident; infirmitates vero, quae ad solida attinent, aut in eorum laxitate, aut in compactione, aut in vitiata utcumque intima compositione consistunt, aut vitales appellari queunt, siquidem a turbatis vitae viribus procedunt.

134. Tum fluidorum, tum solidorum infirmitates peculiaribus etiam nominibus designantur: idcirco alia dicitur scorbutica, alia cancerosa, alia scrofulosa, alia rachitica, alia inflammatoria, alia nervosa, si morbos, qui ab istis infirmitatibus, seu diathesibus producuntur, respiciamus; alia praeterea vocatur hypersthenica infirmitas, alia hyposthenica (1), si virium vitalium incitamentum aut excedens, aut deficiens spectemus. Hypersthenicus autem, et hyposthenicus virium status considerari debet in unaquaque vitae vi, scilicet in sensifera, in motrice, in *vegetativa* in quovis organo, organorum apparatu, systemate; ideoque diathesis hypersthenica, et hyposthenica erit vel sensiferae, vel motricis, vel *vegetativae* vis, vel cujusdam organi, visceris, systematis, etc.

135. Scorbutica, cancerosa, scrofulosa, rachitica, syphilitica diathesis, et, si quae sunt, aliae densis hucusque latent tenebris, ut male definiri possent.

---

(1) Σθένος robur, vis; ἀσθένεια imbecillitas, invaliditas; σθεναρὸς robustus; ὑπὲρ super; ὑπὸ sub. Unde infirmitas hypersthenica dicta est ab ὑπὲρ super, et σθένος robur; infirmitas hyposthenica ab ὑπὸ sub, et σθένος robur: quasi diceremus infirmitatem supra robur, et sub robur. Hypersthenicus dicitur etiam sthenicus; hyposthenicus etiam asthenicus.

Non tamen vetat ratio, hasce infirmitates admittere, de quibus nonnulla dicemus in cachexiarum ordine.

136. Si qua potentia magis, quam sanitati par est, aliquam ex vitae viribus excitet in quovis organo, organorum apparatu, systemate, aut in universa quasi constitutione, istorum producet hypersthenicam infirmitatem; si minus hyposthenicam. Quamobrem infirmitates istae aut *constitutionales*, aut *locales* esse possunt: hae vero *locales* infirmitates quandoque in *constitutionales* abeunt, quod non parum Chirurgorum refert; homo enim, cui inflictum sit vulnus, *localem* obtinet etiam infirmitatem virium vitalium, hypersthenicam nempe, aut hyposthenicam. Alia complura exempla vitales diatheses *locales* patefacere valerent, quas conditiones pathologicas vocant novissimi.

137. Ex infirmitatibus, seu diathesibus tum *constitutionalibus*, tum *localibus* morbosi processus primo emergunt, dein peculiares fiunt morbi, de quibus speciatim agere aliis meritissimis Professoribus munus incumbit. Sicuti infirmitates facillime consequuntur morbi, ita illas Pathologi etiam vocant ad morbos *praedispositiones*, opportunitates, proclivitates. Tamquam proclivitates ad morbos considerant quoque nonnulli et sexum, et aetatem, et temperamentum: hae naturales, illae morbosae pro-

clivitates dici possent; aetates enim, sexus, temperamenta tamquam ad morbos proclivitates, seu diatheses consideratae ab infirmitatibus, seu diathesibus morbosis in hoc differunt: aetates, sexus, temperamenta in bonae valetudinis ambitu continentur; infirmitates vero, seu diatheses morbosae de hoc sanitatis ambitu excedunt. Morbi vero ab infirmitatibus prognati istarum quasi determinatae conformationes sunt. Hoc ideo infirmitates inter, et morbos intercedit, quod hi quibusdam notis, et formis polleant, quibus illae carent. Monere demum expedit, quandoque suscitari morbos existenti diathesi oppositos adeo, ut haec nihil in istos potuerit, quandoque etiam morbos extemplo insurgere absque ulla praesente diathese.

138. Infirmitatum indicia apprime suppeditat physiologia, idcirco infirmam valetudinem numquam sat compertam habebimus, nisi firma prius nobis plane innotescat; haec enim illius est norma, atque mensura. Nec communem hominum sanitatem noscere sufficit, verum etiam propriam illius, de cujus invaletudine dijudicare volumus: quoniam valetudo, quae in quodam homine firma dicenda est, in alio pro infirma est habenda. Hoc certe a sexu, ab aetate, et vivendi ratione proficiscitur, sed praecipue a temperamento, atque idiosyncrasia. Hic pro-

inde non abs re utriusque definitionem subdere existimamus.

139. Temperamenta igitur definiri possunt quaedam naturales hominum differentiae generales, tum physicae, tum morales, quas proficisci credunt Physiologi ex mutua proportione corporis partium, et ex reciproca ipsarum vi. Temperamentum, vox, quae idem sonat ac mistio, a primis Physiologis dictum fuit fortasse ex eo, quod illud crediderant constitutum a varie commixtis corporis animati partibus.

140. Idiosyncrasiae nomen est compositum e tribus graecis vocibus, nempe ex ἴδιος proprius, σὺν cum, κρᾶσις mixtio, temperamentum. Idcirco idiosyncrasia est definienda proprium, et peculiare cujusvis hominis temperamentum. Hinc adeo variae sunt idiosyncrasiae, ut ad nulla certa genera referri queant secus, ac temperamenta, quae Physiologorum arbitrio, ac quasi consensu discernuntur in sanguineum, lymphaticum, biliosum, melancholicum, nervosum, musculosum. Dyscrasia vero dicitur quaecumque fluidorum, et solidorum mala mixtio: namque dyscrasiae nomen constat ex δὺς male, et κρᾶσις mixtio.

CAPUT II.

DE MORBIS.

Nos hic res tyronibus apprime cognoscendas circa morbos primoribus labiis attingemus.

141. Ab origine morbi alii sunt hereditarii, alii sunt congeniti: primi dicuntur, qui a parentibus ad prolem transmittuntur, uti syphilis (1), scrofula, rachitis, etc.; alteri sunt, qui foetui eveniunt, antequam hic in lucem prodeat, quin iisdem affecti fuerint parentes, uti pedes obtorti, labium leporinum, herniae, etc. Alii sunt post nativitatem adventitii, uti febres, inflammationes, abscessus, ulcera, vulnera, etc. Adventitios, sive acquisitos morbos dividunt Pathologi in sporadicos, et in pandemicos.

142. Sporadici (2) quasi privatim sparsi dicuntur,

(1) In hac nos versamur opinione, foetum materno utero inclusum certe in se se excipere posse syphiliticum virus; ob cujus vim ille vel in ipso ventre materno e vita cedit, vel infirmus nascitur, sed nullis apparentibus morbis, prout observationes me docuerunt, qui tamen morbi a nativitate non sero plerumque se produnt.

(2) Sporadicus *σποραδικὸς* a *σποράδης* sparsus, unde morbus sparsus.

qui seorsim excruciant homines, ut alter anginam, alter ophthalmiam, alter diarrhoeam patiatur, quisque ob peculiaris causae vim; pandemici (1) morbi sunt sporadicis antitheti, siquidem isti non affligunt seorsim homines, sed populum uno, eodemque tempore, quasi hosce morbos populares, vel publicos dixerimus a communi caussa prognatos.

143. Pandemici morbi rursus in endemicos (2), et epidemicos (3) distinguuntur: primi sunt cuidam populo peculiares, quasi patrii, scilicet in patria sistentes morbi ob vim alicujus caussae ibi permanentis, uti tumidum guttur in alpibus, et pyrenaeis, plica in Polonia, febres intermittentes in nostra Vercellarum provincia, ophthalmia in serenissimis AEgypti plagis; secundi sunt quidem populares, seu publici, sed advenientes, et fugaces, non permanentes, quum adventitia, non permanens sit eorum caussa, uti castrenses dysenteriae, variolae, morbilli, etc. Alii demum sunt contagiosi, uti pestis, scabies, lues syphilitica, etc., alii non.

144. Ab anni tempestate morbos distinguunt Pathologi in vernales, aestivos, autumnales, hyemales. In nostris regionibus vernales morbi, et

---

(1) Pandemicus πανδήμιος popularis, publicus.

(2) Endemicus ἐνδήμιος patrius, in patria sistens.

(3) Epidemicus ἐπιδήμιος adveniens.

infirmitates sunt maniae, epilepsiae, sanguinis fluxiones, febres synochae, ophthalmiae, anginae, expulsiones cutaneae, formiculationes, pruritus aestivi sunt febres gastricae, verminosae, alvi profluvia, exanthemata, carbunculi, erysipelata, phlegmones; autumnales sunt febres intermittentes, catarrhales, vesicae catarrhi, hydropes; hyemales sunt tusses, pleuritides, peripneumoniae, dolores rheumatici, perniones.

145. A sede morbi sunt interni, uti peripneumonia, nephritis; externi, uti ophthalmia, reduvia; universales, seu *constitutionales*, qui nempe universam perturbant animalem oeconomiam, uti morbi febriles; *locales*, videlicet qui praeter affectam partem vix aliae parti officiunt, uti tegumenti communis vulnus simplex, humeri simplicissima fractura; fixi in qua data parte, uti quidam dolores; errantes longe, lateque, uti quaedam erysipelata, cutaneae eruptiones. Idiopathici (1) morbi, idest proprii, seu praecipui dicuntur, qui ab aliis non dependent, uti ulcuscula a syphilitici viri contactu primitus pro-

---

(1) Idiopathicus ab ἴδιος proprius, et πάθος affectus, unde idiopathicus morbus quasi a proprio, non alieno affectu dependens. Dicitur et protopathicus ex πρῶτος primarius etc.

gnata, cephalitis ab apricatione; symptomatici (1) contra vocantur, qui a proprio, sive praecipuo morbo pendent, uti syphiliticus bubo, qui ab idiopathicis ulcusculis procedit; sympathici (2), qui ab alio morbo, sed consensus ope dependent, uti inguinalis bubo a dolente gonorrhoea; critici (3), qui praecipuo morbo subvenientes ad bene, prospereque judicandum de illo valent, uti abscessus in pestilentiis, diarrhoea in febre biliosa; metastatici (4) appellantur morbi, qui ab una in aliam partem translati fuerunt, uti cerebri, pulmonis erysipelas a cessante quocumque erysipelate externo, et contra externum erysipelas a cessante cerebri,

---

(1) Symptomaticus a σὺν cum, πτῶμα accidens, proinde symptomatici morbi dicuntur, qui alteris idiopathicis morbis accidunt.

(2) Sympathicus a συμπαθῶ coafficior, una patior. Unde συμπάθεια condolor, compassio, et συμπαθικὸς condolens. Συμπάθεια usurpatur etiam pro consensu, et συμπαθικὸς pro consentiente.

(3) Criticus a κρίσις judicium, unde κριτικὸς judicatorius. Morbi critici, nempe judicatorii.

(4) Metastaticus μεταστατικὸς adjectivus est a μετάστασις derivatus. Metastasis μετάστασις translatio, unde μεταστατικὸς translatitius; ideo morborum translatio, et morbi translatitii.

pulmonis erysipelate, hinc malam, et bonam metastasim, scilicet morbosam translationem distinguunt Pathologi; morbi demum ab idiopathico morbo dependentes, quando, hoc abeunte, perseverant, aut subsequuntur, ut hydrothorax a pleuritide, ophthalmia a variolis, dicuntur diadochi (1).

---

(1) Diadochus a διαδοχὴ successio, διάδοχος succedaneus, unde morborum successio, et morbi succedanei.

De metastaticis, atque diadochis morbis complures extant apud veteres Pathologos distinctiones, complura nomina, circa quae multum abest, ut illi consentiant omnes. Proinde ut nominum saltem aequam significationem intelligere valeatis, si ea vobis passim legendi occasio tulerit, hic ipsa utpote a graeco sermone mutuata cum suis etymologiis tradimus.

Metaptosis μετάπτωσις ex μετὰ trans, et πτῶσις lapsio, quasi *translapsio*, item mutatio a specie in speciem, degeneratio.

Palindrome παλινδρομὴ recursus, a πάλιν rursus, et δρόμος cursus.

Epigenesis ἐπιγένεσις ex ἐπὶ super, et γένεσις generatio. Hisce novissimi quidam adjunxerunt metaschematismi nomen μετασχηματισμὸς, compositum ex μετὰ trans, et σχηματισμὸς figuratio: hanc vocem habent Graeci ad significandam transfigurationem, traductionem in aliam figuram, habitus immutationem; nunc temporis Pathologi nonnulli ipsam usurpant ad designandam

146. A progressu morbi dicuntur acuti, et chronici (1): illi celerem, hi lentam suam habent periodum, celeriter quidem furunculus, anthrax procedunt, lente scrofulae, spinae ventosae; dicuntur etiam continui, remittentes, intermittentes, quae epitheta sat rem significant; ad primos ephemeram (2), ad secundos synocham, ad tertios quartanam febrem, ex. gr., referimus; subintrantes vero appellantur morbi, quibus remissio, aut intermissio est brevissima.

147. A laesionum primitivarum genere morbos dividemus in humorales, vitales, et physicos: primi

---

omnimodam translationem unius morbi in alium; ex novissimis alii vel adamant ceu metaschematismi synonimum metabolelogiam, vocem effictam ex μεταβολὴ mutatio, et λόγος sermo. Metabolelogia igitur valet sermonem de mutationibus, quae in morbis contingere queunt. Utrum apposite, an non, utrum utiliter, nec ne in pathologiam introducta sint ista nomina, dijudicent docti in arte viri.

(1) Chronicus a χρόνος tempus, χρονικὸς temporalis, unde morbi chronici, qui ad longum tempus perdurant. Ex χρόνος, et σὺν cum habemus etiam synchronum, σύγχρονον contemporaneum.

(2) Ephemera ab ἐπὶ ad, et ἡμέρα dies, quasi ad diem perdurans febris.

in laesa primitus humorum crasi, indole, vel copia consistunt, uti scorbutus forsan, certe syphilitica lues confirmata, atque plethora; secundi in laesis primitus vitae viribus, uti epilepsia a subito horrore, icterus, melasicterus, hydropes, febres, aliique morbi bene multi repentini ab animi pathematibus suborti; tertii in laesa primitus partium structura, vel compositione, uti vulnus, luxatio. Hi postremi a plerisque Pathologis dicuntur etiam organici, sed hoc potius nomine nuperi Pathologi vocant alteros morbos, in quibus a laesis primum aut humorum indole, aut vitae viribus, aut utrisque organica dein alicujus partis compages naturalis immutatur adeo, ut peculiares morbi consequantur, sicuti tumores inflammati, strumosi, etc.

148. Hic admonere expedit, uti *humorales*, et vitales morbos quandoque abire in organicos, videlicet febrem simplicem in peripneumoniam, et dolorem in tumorem inflammatum; ita etiam morbos physicos abire quandoque in vitales simplices, et in vitales organicos, nempe vulnera in convulsiones, herniae in inflammationes, etc.

149. A laesionum quantitate, et momento morbi sunt simplices, compositi, et complicati: simplices haud stricte plerumque dicuntur ii, qui non aliis morbis consociantur, nec nisi necessariis symptomatibus continentur, uti tegumentorum vulnus,

uti furunculus. Compositi, qui unius morbi speciem subeunt, et tamen plures sunt ejusdem generis, uti entero-epiploceles, hernia scilicet ab intestino, et ab omento facta; uti tibiae, et fibulae fractura. Complicati, qui ex pluribus non necessariis symptomatibus, aut morbis aliis confusim componuntur, uti fractura cum trismo, aut tetano consociata, uti lues syphilitica cum scorbuto, scabie, etc.

150. Morbos aetatibus, sexubus, temperamentis, occupationibus, vivendique rationibus esse peculiares, non incassum monemus. Re enim vera, vermibus proni sunt infantes, paralysibus senes; podagrae viri, scirrho foeminae; inflammationibus homines sanguinei, febribus gastricis biliosi, hydròpibus lymphatici, spasmis torosi, caeterisque affectionibus nervosis nervosi; luxationibus, fracturis, vulneribus obnoxii agricolae, caeterique rudiorum artium fabri; haemorrhoidibus, phthisi, oculorum morbis studio dediti; morbis demum minus obnoxii sobriam, quam opiparam, vitam degentes.

151. A caussis, sede, symptomatibus morbi sunt leves, graves; sanabiles, insanabiles; periculosi, lethales, etc.; quae nomina per se sat claras ideas menti suppeditant.

Ab essentia nec non generalibus, et specialibus characteribus morbi in classes, ordines, genera,

species distribuuntur. Istiusmodi distributionis tractatum nosologiam, nosographiam vocant Pathologi.

CAPUT III.

DE CAUSSIS.

ART. I.

De Caussis generatim.

152. Caussarum doctrinam Pathologi vocant aethiologiam a graecis vocibus αιτία caussa, et λόγος sermo. Quod infirmitatem, et morbum quomodocumque progignit, id omne morbosa caussa vocatur.

Nos perspicuitatis, et utilitatis gratia morbosas caussas generatim dividemus in proximas, et antecedentes; quid insuper de *praedisponentibus*, *occasionalibus*, *efficientibus*, ac *materialibus* caussis sentiendum sit, brevi expendemus. Hic ad rem praeponemus, pro laesionum nomine in re pathologica intelligi proximos caussarum antecedentium effectus.

153. Caussam proximam nominamus, quae infirmitatem, nec non morbum proxime producit. Haec eadem caussa a nonnullis Pathologis dicitur continens, quasi id omne comprehendat, atque contineat, quod infirmitatem, et morbum constituit; conjuncta etiam nuncupatur, uti si, praesente ista,

praesens sit morbus, vel infirmitas, si ablata, utraque auferatur. Caussa vero proxima jam morbus est, aut infirmitas, siquidem semper sistit in *praeternaturali* mutatione vel humorum ingenii, et copiae, vel solidorum structurae, et vis, adeo ut nuperrimi Pathologi hanc non amplius caussam, sed conditionem pathologicam vocare malint. Ipsa orsitan melius diceretur infirma conditio.

154. Ad exemplum. Inflammationem proxime producit incitatior, quam par est, atque tumultuosa vitalis arteriolarum capillarium actio, haec igitur inflammationis caussa proxima dicitur. Continens etiam ipsa jure vocari potest, siquidem id omne reapse comprehendit, et continet, quod inflammationem constituit, videlicet pulsationem, ruborem, calorem, dolorem, tumorem. Conjuncta merito appellari quoque potest, quoniam inflammatione semper conjungitur incitatior, et tumultuosa capillarium arteriolarum actio, id est, hac praesente, praesens est inflammatio, vel saltem *inflammatoria* diathesis; hac vero ablata, utraque aufertur.

155. Antecedentes caussas graece proëgumenas (1) uno nomine appellamus eas omnes, quae proximam inducere valent. Istae quidem complures, et aliae aliis

(1) Antecedentes caussae graece vocantur *προηγȣμέναι* ex *προηγȣ̃μαι* antecedo.

remotiores esse queunt: tunc illa, a qua propius pendet caussa proxima, effectus est alterius antecedentis caussae, haec iterum alterius, et ita deinceps, adeo ut quandoque plurium caussarum series ad infirmitatem, et morbum efficiendum conferat, quarum primariae procatarticae vocantur: προκαταρκτικὸς enim latine vertitur primarius.

156. Ut Inflammationis exemplo insistamus: diximus, incitatiorem capillarium arteriolarum actionem esse inflammationis caussam proximam; diximus deinde, antecedentes caussas morbosas generatim esse illas, quae valent inducere caussam proximam. Hinc stimulus quicumque, puta vividior sanguis, proximam inflammationis caussam inducere potis est, videlicet incitatiorem capillarium arteriarum actionem reddere. Vividior ergo sanguis potest esse inflammationis caussa antecedens; violenta vero exercitia, opiparae mensae, copiosa falerni pocula, etc. totidem vividioris sanguinis caussae sunt, ideo et antecedentes inflammationis caussae esse possunt, quae quidem vividiore sanguine sunt remotiores, siquidem ab illis hujusmodi vitium sanguinis producitur. In allato exemplo habemus antecedentes inflammationis caussas complures, quarum aliae aliis remotiores sunt, et alterae alterius effectus, adeo ut istarum caussarum complurium

series ad inflammationem suscitandam non raro conferat.

157. Diatheses non raro in morbos abire jam indicavimus. Nunc quandoque ob adjectam praesenti diathesi caussam illos evenire animadvertimus. In primo casu diatheses, earumque caussae a Pathologis non prorsus immerito habentur pro caussis *praedisponentibus* morborum, in quos abeunt diatheses; at supervacaneum fore nobis videtur, post sic explicitas *praedispositiones*, *praedisponentes* etiam caussas recensere. In secundo casu adjectam praesenti diathesi caussam, quae morbi exsuscitationi occasionem praebet, illumque determinat, *occasionalem*, et determinantem nonnulli Pathologi vocant. Hic attendere juvat, *occasionales* hasce caussas eo facilius producere morbos, quo majorem progressionem ad morbum jam habet praesens infirmitas, seu diathesis.

158. Rem exemplis patefacimus: non raro observare est, scorbuticam usque ingravescentem diathesim sponte abire in ulcera, quorum caussae *praedisponentes* (si hoc nomine malimus ipsam *praedispositionem*, seu diathesim appellare) erunt et scorbutica diathesis, et hujus caussae; nec raro quibusdam scorbutica infirmitate laborantibus accedit levis cutis laceratio, quae in scorbuticum ulcus degenerat, quae laceratio idcirco evadit caussa *oc-*

casionalis, et determinans istiusmodi ulceris; si autem maximam jam progressionem habuerit scorbutica diathesis, tunc ad scorbuticum ulcus procreandum sufficiet vel levissima laceratio, quae fortasse in non adeo provecta diathesi impar fuisset ad producendum istiusmodi ulcus. Hinc tum *praedisponentes*, tum *occasionales*, seu determinantes morborum caussas commode ad antecedentes referri, quisque facile intelliget.

159. In morbo a quadam infirmitate, sive diathesi suborto seorsim considerandae persaepe occurrunt et caussae infirmitatis, seu diathesis, et caussae morbi, uti innuimus §. 157. Verum, nulla praesente diathesi, sat crebro suscitatur morbus, cui non nisi suae propriae sunt caussae, nempe proximae, et antecedentes: quod exemplo apertius ediscemus. Puta quis plane belle se habens extemplo angina *inflammatoria* corripitur, tunc exquirendum est, quaenam sit hujusce anginae *inflammatoriae* caussa antecedens: proxima enim consistit in faucium arteriolis magis, quam par est, sollicitatis. Si aeger declaret, se equitantem ex. gr. irruenti vento os pervium praebuisse per aliquod temporis spatium, haec una evadit probabilissima hujusce anginae caussa antecedens, quin ulla praecesserit diathesis. Quandoque autem morbi, nulla praesente diathesi, tam cito exsurgunt, ut non nisi unam efficientem

caussam agnoscant, sicuti vulnera, exustiones, pleraeque fracturae, etc.

160. Materialem insuper caussam, si lubet, in nonnullis morbis organicis considerare possumus, illam nempe, quae ipsi morbo materiem, et formam praebet: ista caussa ex. gr. in tumore *inflammatorio*, in aneurysmatico, in ecchymotico est sanguis; in oedemate, in hydrocele est lympha; in hernioso tumore est viscus aliquod; in sarcomatoso est excreta caro, etc. Haec eadem materialis caussa, quandoque tamquam ipse morbus habetur, uti vesicae calculus, carnosa vegetatio, etc.; quandoque alterius morbi caussa efficiens evadit, uti dictus calculus, si vesicae collum claudat, efficit absque ulla alia caussa urinae retentionem; quandoque fit etiam alterius morbi caussa antecedens, uti calculus ipse, si circumstantium partium vitales proprietates irritet, et incitatiores faciat, antecedens inflammationis caussa evadit.

161. Ex dictis eruitur, antecedentes caussas, easque omnes, quae ad has pertinent vel fluidorum ingenio, et copiae, vel solidorum structurae, et vi praesertim nocere; sed illae, dum homines afficiunt, nec effectus in omnibus pares, nec hos semper exerunt: siquidem istarum caussarum complurium, et diversarum conspiratio, sexus, aetas, temperamentum, diathesis, et non pauca istorum

adjuncta caussarum actioni favent, aut refragantur.

Pathologorum demum refert inquirere, utrum antecedentes caussae intra corpus nostrum, vel extra sistant; primae internae, alterae externae dicuntur; animadvertendum quoque est, utrum quae internae fuerant, infirmitate, aut morbo adhuc adsint, an non; utrum etiam externae persistant, et continuo in morbum, aut infirmitatem agant, nec ne.

ART. II.

De Caussis speciatim.

162. Quoniam infirmitates, morbique a prima conceptione inchoari certe possunt, necessario consequitur caussas adesse congenitas tum proximas, tum antecedentes. Si igitur specialium morbosarum caussarum primam originem spectemus, liquido patet, has esse congenitas, et adventitias, de quibus nunc pauca.

163. Congenitae caussae sunt illae, cum quibus procreantur quidam homines, ita ut primigenia constitutione inhaereant: ex istis nonnullae infirmitatem, morbumve exerunt in foetu, nonnullae vel ad longum temporis spatium a nativitate latent in corpore absque ullo effectu, scilicet morbo, aut infirmitate. In harum ordine censemus vitium po-

lagricum, rachiticum, strumosum, scorbuticum, herpeticum, virus syphiliticum, principium maniacum, si quid est, aliaque fortasse non sat nota vitia sive solidis, sive fluidis inhaereant.

Quomodo ab istis maleficis caussis et fluidorum, et solidorum natura labefactetur, quae infirmitates, qui morbi suboriantur, hic locus non est admonere.

164. Adventitiae morbosae caussae sunt, quae natos homines adveniunt, et prosperam eorum valetudinem infirmare valent. Hae pertinent aut ad res ipsas *connaturales*, aut ad res, quae tamquam *praeternaturales* sunt habendae, et per se plerumque noxiae. Primi generis sunt *circumfusa*, *applicita*, *ingesta*, *excreta*, *gesta*, et *percepta*; quomodo ista omnia sanitati obsint, et morbosae caussae evadant, jam in hygiene delibavimus; alterius generis sunt venena, contagia, miasmata, ignis, fluida *aëriformia* tum permanentia, tum non permanentia, violentiae. Hic ad rem nostram de istis omnibus nonnulla dicemus.

165. Venenum intelligimus id omne seu solidum, seu fluidum, quod corpori nostro quomodocumque communicatum hujus universas, aut peculiares quasdam, easque principes, ac vitae summe necessarias functiones non sat cognito modo, sed ferocia quasi indomita laedit, et vitam minatur. Venenatas sub-

stantias tria naturae regna suppeditant, ars etiam ad bonos usus condit, atque componit.

166. Contagium dicitur quiddam incomprehensibilis, quo quisque infectus id ipsum alteri communicare potest per tactionem vel ipsius infecti, vel rei contagio inquinatae, adeo ut unumquodque peculiare contagium semper sui generis morbum procreet in omnibus, quos afficit, hisque tribuat facultatem ipsum contagium, et morbum regenerandi. In contagiorum numerum sunt adsciscendi syphilis, pestis, scabies, variolae, vaccina, morbilli, scarlatina, hydrophobia: de aliis nonnullis ambigitur.

167. Miasma (1) graece, latine inquinamentum apud Pathologos significat quiddam item incomprehensibilis, sed minus noti, a quo, si corpus nostrum polluatur, gravissimae noxae, et morbi exsurgunt nullius certi generis. Praeterea hoc praecipue inter contagium, et miasma etiam interest, quod primum non nisi a vitali animalium efficientia elaboratur; alterum vel e demortuis animantium corporibus, corruptisque *vegetalium* substantiis actuosum evolvitur, miasmata proinde facile inveniuntur in nosocomiis, in carceribus, in castris, in oryzae campis, in stagnantibus agris, istorumque viciniis.

---

(1) Miasma *μίασμα* inquinamentum, a *μιαίνω* inquino, polluo.

168. Calorici defectum, et abundantiam vitalibus proprietatibus apprime nocere jam diximus in hygiene; hinc in caussa esse, cur infirmitates, morbique complures proveniant. Nunc meminisse refert, ignem, vel causticam quamcumque substantiam, quippe caloricum liberum exuberanti ratione cumulatum etiam organicas partes adurere, atque consumere. Huc referri potest spontanea hominis accensio. Huc referas etiam quaedam chemica agentia, quae vivis animantium partibus applicita istarum resolutionem, ac destructionem producunt.

169. Fluida *aëriformia* permanentia, praeter aërem atmosphaericum, sunt quam maxime respirationi infesta, ita ut brevi mortifera evadant; non permanentia vero aërem atmosphaericum polluunt, hinc noxiae eorum particulae inspiratae, glutitae, absorptae sanitati vario modo, prout varia illa sunt, lente utplurimum obsunt.

170. Violentiarum nomine comprehendimus casus, ictus, pressiones, distorsiones, vulnerantia instrumenta, aquae submersiones, et alia, quae corporis structurae, nec non vitae viribus, proinde organorum actionibus, functionibusque physico modo, ut ita dicamus, officiunt.

171. Haec quasi omnia, quae licet jure tamquam morborum caussae considerentur, in suos tamen usus non raro universa medicina convertit. Quae

de morbosis caussis hic tradidimus, brevissima rudimenta sufficiant nobis, quum morborum caussas ad rem fusius, copiosiusque exponant et clinicae (1), et theorico-practicae scholae.

CAPUT IV.

DE SYMPTOMATIBUS.

172. Symptomatis nomen derivatur a graeca voce σὺν cum, et πτῶμα accidens, casus: proinde symptoma definiri potest morbosa affectio, sive morbus, qui alteri idiopathico, seu praecipuo morbo, vel infirmitati conjungitur, adjungitur, et ab ipsis, horumve caussis originem habet. Symptomatum disciplina dicitur symptomatologia.

173. Symptomata quasi morborum elementa considerari possunt. Affectiones igitur symptomaticae, ex quibus conflantur morbi, referri queunt vel ad laesas corporis actiones, functionesque, vel ad alteratas ejus sensiles qualitates, vel ad egestos humores. Primi generis symptomata sunt vitia sensuum, motuum, respirationis, vocis, loquelae, digestionis, mictionis, etc.; secundi generis sunt

---

(1) Clinicus a κλίνη lectus. Clinicae igitur scholae illae dicuntur, quae ad aegrotorum lectos habentur.

partium rubor, pallor, tumor, macies, mador, ariditas, etc.; tertii generis sunt fluxus sanguinis, lymphae, muci, etc. Ex dictis facile eruitur, nec dari morbum sine symptomate, nec symptoma sine morbo: symptoma insuper esse quid mali, quod aegrotus experitur; a symptomatibus demum suppeditari prima morbi indicia, atque signa.

174. Symptomatum alia ocyus, alia serius contingunt. Plerumque, deficiente morbo, cuncta mitescunt symptomata; nova quandoque in morbi decursu occurrunt, vel antiqua exasperantur, malo persaepe, non infrequenter bono etiam omine. Boni ominis symptomata tamquam critica haberi possunt, nimirum ceu salutiferi naturae conatus: enimvero incitatiores pulsationes, ardentior calor, vehementiorque dolor saepenumero beneficam conficiunt suppurationem in tumoribus inflammatis; fissa crurum cutis, disrupta lymphatica vasa, abunda, et diutina lymphae diluvies non raro hydropis resolutionem promittunt.

175. Inter symptomata quaedam producuntur ab ipsomet idiopathico morbo, quaedam ab hujus antecedente caussa, quaedam ab aliis morbi symptomatibus. Ista porro omnia scitu pernecessaria ducimus, ut ad proprias caussas referantur symptomata varia, et ita error adeo in medendi artis ministerio periculosus praecaveatur.

176. En istorum symptomatum exempla: produc-

tum ab ipsomet idiopathico morbo symptoma est caecitas in suffusione, seu *cataracta*; motus, incessus praepediti in fracto crure sunt totidem hujusmodi symptomata; inflammatio exustionem ambiens est symptoma ab antecedente morbi caussa prognatum; in sympathica vesicae inflammatione retentio urinae est symptoma ab alio symptomate editum.

177. Symptomata distinguimus quoque in necessaria, et fortuita, in propria, atque communia. Necessarium symptoma vocamus, quod aliquem datum morbum necessario consequitur, uti haemorrhagia pertusam venam, et arteriam, uti dolor sauciatos nervos; fortuitum e contrario, quod casu accidit, uti in vulnere simplici uberes suppurationes, uti in luxatione inflammatus tumor. Proprium symptoma dicitur, quod ferme semper in unoquoque morborum genere, et specie contingit, uti rubor in inflammationibus, atque horror aquae in rabie canina; commune, quod in compluribus diversi generis, et diversae speciei morbis evenire potest, uti dolor in phlegmone, et in scirrho, uti rubor in oculi albo sive inflammationis, sive ecchymosis caussa.

178. Caetera morborum accidentia ab aliis quibuscumque caussis praeter indicatas producta appellantur epigenomena a graeco verbo ἐπιγίνομαι supervenio, ac si diceremus morbosa phaenomena

non a morbo, non a morbi caussa, non a morbi symptomate, sed aliunde supervenientia. Epigenomenorum exemplum praebet febris tertiana ab aëris vicissitudinibus puta prognata, vel a quacumque alia caussa, quae tertiana febris, cui sit fractus cubitus, superveniat.

179. Hasce symptomatum considerationes, quas fusius etiam persequi solent Pathologi, floccifaciunt nonnulli, sed falso quidem, prout nos existimamus. Quantum enim referat symptomata sedulo, et studiose investigare, nec non eorum cum idiopathico morbo rationem, relationem, et nexum aequi aestimare, ne mancam morbi ideam concipiamus, ratio abunde suadet, sed Clinice apertius vobis declarabit.

CAPUT V.

DE SIGNIS.

180. Signorum doctrina vocatur semiologia a graecis vocibus σημεῖον signum, et λόγος sermo; dicitur etiam semiotica a verbo σημειόω significo, unde σημειωτικὸς significans; ideoque disciplina, quae de signis agit.

181. Signum a Pathologis definiri potest id, quod indicare valet quidquid ad morbos pertinet. Signa, nec non prima indicia rebus notis exquirimus ad

ignotas res dignoscendas: ista proinde petuntur a vivendi modis, morbiferis caussis, diathesibus, morbis, symptomatibus, remediorum effectibus, et istarum rerum omnium adjunctis.

182. Signa in se spectata dicuntur antecedentia, si a praeteritis rebus desumuntur; praesentia, si a praesentibus; sensilia, si per sensus percipiuntur; rationalia, si ratiocinationis ope eruuntur, et concipiuntur.

183. Signa vero, prout spectant res indicandas, considerata distinguuntur in commemorantia, in diagnostica (1), in prognostica (2): prima res praeteritas indicant; secunda praesentes; tertia futuras. Ex hisce omnibus alia sunt certa, alia ambigua.

184. Pathognomonicum (3) demum signum, diagnosticum a Pathologis etiam dictum, illud est, quod morbi speciem, ejusque ultimam differentiam probe declarat: nunc refert animadvertere, hoc persaepe non unicum esse, sed ex pluribus coacervatis, et simul sumtis componi, quandoque etiam a quorumdam signorum absentia confirmari.

185. Quo melius tradita signorum doctrina in-

---

(1) Vid. diagnosis.

(2) Vid. prognosis.

(3) Pathognomonicum a πάθος morbosa affectio, morbus, et γνώμων indicans, quasi signum morbosam affectionem, morbum indicans.

telligatur, servato ordine, singulorum exempla in medium proferemus. Quando inquirimus, utrum quis saliarem in modum epulari consuescat, indicium, signum petimus a vivendi modo. Quando sciscitamur, utrum quis syphiliticae contagioni se se objecerit, indicium petimus a morbiferis caussis. Quando virium vitalium actiones expendimus, ab utraque diathesi vitali, videlicet ab hypersthenica, et ab hyposthenica indicium petimus. Quando expostulamus, utrum quis syphiliticum cancrum idiopathicum sit passus, indicium petimus a morbo. Quando percunctamur, utrum febricitans dolore, siti, calore laboret, indicium petimus a symptomatibus. Quando cognitionem capimus de corticis peruviani usu, de tolerata hydrargyrosi, de balneis adhibitis, indicium petimus a remediorum effectibus: ita aliquoties corticis peruviani efficacia salutaris declarat quarumdam febrium naturam antea non bene cognitam (1), nec raro benefica hydrargyri actio syphiliticam cujusdam morbi indolem detegit. Quando hydrargyri doses, temporis spatia ab una, alteraque dose examinamus, quando flagitamus, utrum dolores sint acuti, an obtusi, utrum continui, an intermittentes, utrum fixi, an errantes, indicia petimus a rerum adjunctis.

---

(1) Consul. fièvre larvée tom. XV, pag. 381 Dict. des scien. méd.

186. Notitia *vaccinationum*, *variolarum*, *morbillorum* praegressorum signum est antecedens. Fluens purulenta, et puriformis materies signum est praesens. Mammae durities, opaca lens crystallina, ossis crepitatio, urinae, puris foetor, fluidorum, solidorumque mutati sapores, odores sunt signa sensilia. Enunciati ab aegroto dolores unam, alteramve partem cruciantes, continui, aut intermittentes, diurni, aut nocturni, acuti, aut obtusi, pungentes, urentes, aut dilaniantes rationalia signa evadunt.

187. Cicatrix praesens plagam extitisse commemorat, hinc signum antiquae plagae commemorans est. Saliva genarum vulnere effluens sauciati Stenoniani ductus, aut salivariae glandulae diagnosticum signum est. Amplum ulcus futuram cicatricem deformem ominatur, unde hujusmodi cicatricis prognosticum est. Haemorrhagia, quae nullomodo supprimi possit, certam mortem praenunciat, ergo signum lethi prognosticum est. Faecales materies externo abdominis vulnere exeuntes sunt vulnerati intestini certum signum. Sanguine tinctae alvi deiectiones in abdominis vulnere sunt ambiguum vulnerati intestini signum.

188. Una haemorrhagia pathognomonicum praebet signum sanguinei vasis disrupti. Facili negotio flexile longi, ac duri ossis corpus pathognomonicum signum est fracturae illius. Phlegmones pathogno-

monicum signum suppeditant tumor circumscriptus, vividus, intensus rubor, calor adauctus, dolor torquens, et continuus, pulsationes frequentiores, ac fortiores, quae signa seorsim sumta nullomodo phlegmones pathognomonicum signum suppeditarent: saepenumero deficientia strangulati intestini signa pathognomonicum cysticae hydroceles signum, praesentibus alteris hujusce morbi, confirmant.

189. Nos demum moniti esse debemus, reipsa aliud esse signum, aliud esse symptoma in se spectata: hoc enim est aliqua mala affectio, quam aegrotus experitur; illud vero aliquod mente observantis conceptum, et rei ignotae indicandae potens. Signa proinde a symptomatibus suppeditari possunt, uti jam dictum est (§. 173).

CAPUT VI.

DE PERIODO.

190. Spatium a sanitatis deflexu ad morbi finem veluti ambitus, graece periodus (1) a Pathologis consideratur: in hac morbi periodo quasi compre-

---

(1) Periodus a graecis vocibus περὶ circum, et ὁδὸς via, iter latine vertitur circumitus, circuitus, ambitus.

hensae vicissitudines animadvertendae subeunt; istae sunt morbi tempora, terminationes, paroxysmi, et typi.

191. Quatuor morbi tempora concipiunt Pathologi, nempe initium, incrementum, statum, declinationem. Initium circumscribitur a devertente sanitate, et a notarum apparitione, ob quas morbi genus, et species dignosci potest. Incrementum a sic formato, et cognito morbo progreditur, usquedum hic continuo ingravescit. Status in nec crescente, nec decrescente morbo perseverat. Declinatio a vix decrescente morbo ad hujus terminationem protenditur.

192. Terminationes, ut Pathologorum sermone utamur, morbos expediunt. Istae sunt vel ad sanitatem proximus reditus; vel prioris morbi in alterum mutatio, transitio; vel vitae, et vitalis vis amissio, mors scilicet.

193. Paroxysmus, παροξυσμὸς, latine vertitur exacerbatio. Pathologi ideo paroxysmum vocant morbi exacerbationem ab illius remissione, nec non accessum ab intermissione. Morbi vero typum dicunt paroxysmorum ordinem, et modum.

194. Intermittentium febrium varius est typus, ut febres aliae sint *tertianae*, quae habent quadraginta octo circiter horarum intervallum inter accessus; aliae *quartanae*, quae septuaginta duarum

circiter horarum intervallum habent inter accessus. Hujusmodi igitur febrium accessiones erunt harum paroxysmi; remittentium febrium exacerbationes, quae semel, bis, aut pluries in die accidunt, erunt quoque harum paroxysmi.

195. Morbi tempora, et terminationes exemplis etiam aperiemus. Initium pernionis est, dum pars a frigore male affecta fit tumidula, subrubet, et prurit: hoc morbi tempus sat bene coërcetur a sanae partis deflexu, et a notarum apparitione, quibus dignoscitur pernio; siquidem hujus morbi pathognomonicum signum constituunt et cognita caussa antecedens, nempe algoris actio, et tumida, rubra, pruriens, dolens pars. Incrementum persequitur, dum sic formatus morbus, videlicet pernio, assidue tumet, rubet, adeo ut ejus dolor non parum intendatur. Status perseverat, dum pars nec a crescente morbo gravatur, nec a decrescente sublevatur, scilicet nec plus, nec minus rubet, nec plus, nec minus dolet. Declinatio procedit, dum pars detumescere coepit, rubor rarescit, et dolor mitescit: ita morbus sensim terminatur.

196. Terminatio prima pernionis in exemplum allati est aegrotae parti proxime restituta, ut nuper diximus(§.192), sanitas; alterius terminationis exemplum est pernio in ulcus mutatus; (in hoc ulcere quatuor iterum observantur tempora, nec non terminatio

per ejus cicatricem) tertiae terminationis exemplum esset, ob usque progredientem pernionis gangraenam, mors aegroti.

197. Non abs re subdemus, quibus proximis caussis sanatio, et mors proveniant.

Sanatio, nimirum ad sanitatem reditus, fit morbosarum caussarum, et effectuum ablatione, nec non reductis in naturalem ordinem corporis partibus, vitaeque viribus. Hoc patefaciant exempla: sanatio retentae urinae a calculo urethram obturante fit calculi extractione, nempe morbosae caussae ablatione. Si ceu scabri calculi effectus una cum urinae retentione contigisset etiam urethrae laceratio, inflammatio; sanatio non expleretur, nisi tum per urinae extractionem, tum per lacerationis, et inflammationis curationem, nempe per effectus ablationem. Sanatio luxati humeri fit istius in naturalem ordinem reductione: infirmum vero, aut resolutum brachium ob humerum luxatum sanatur non modo humeri reductione, sed etiam vitae virium refectione.

198. Mors, ultimum viventium fatum, Pathologorum animo considerata evenit aut per abeuntes vitae vires, uti quando quis sive sua morte, sive deleteriis (1) vitae vires finientibus moritur;

---

(1) Deleteria sic dicta a graeco verbo δηλέω, noceo,

aut per agentium in vitae vires defectum, uti quando quis sanguine, vel aëre deficiente perit; aut per vastatam corporis structuram, ita ut vitae effectrices, et conservatrices functiones peragi non amplius queant, uti quando quis extinguitur obtruncato capite, avulso corde, hepate, ventriculo, etc.

199. Si morte, quae aequo pulsat pede pauperum tabernas, Regumque turres, dissolvitur hominis natura, ejus tamen animum philosophia, religioque declarant immortalem. Nec mortem in malis ducamus, utpote quae est a summo Deo constituta. Non enim (Tullii verbis utemur) temere, nec fortuito sati, et creati sumus; sed profecto fuit quaedam vis, quae generi consuleret humano; nec id gigneret, aut aleret, quod, quum exantlavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum. Portum potius paratum nobis et perfugium putemus, quo utinam velis passis pervehi liceat! Sin reflantibus ventis rejiciemur, tamen eodem paullo tardius referamur necesse est; quod autem omnibus necesse est, id ne miserum esse uni potest? Nos igitur non deterreat mors, quae propter incertos casus quotidie imminet; nobis sit

---

sunt ea omnia, quae vitae vires labefactant, extinguunt, proinde mortifera evadunt. Uti, ad exemplum, aqua stillatitia lauro-cerasi, quae hausta vitam illico extinguit.

potius sollicita cura, ne melior pars nostrum a morte in devium quoddam iter, monente SOCRATE, incidat seclusum a concilio Divorum cum summo Deo, sed ut ad illum, a quo sumus profecti, reditus facilis pateat: hominum enim animi sunt divini, iisque, quum e corpore excedunt, aditus in coelum patet optimoque, et justissimo cuiquam expeditissimus. Quare hoc commentemur assidue, credite, disjungamus nos a corporibus, idest consuescamus mori. Hoc et, dum erimus in terris, erit ille vitae coelesti simile, et, quum illuc ex his vinculis emissi feremur, minus tardabitur cursus animarum. Haud vero nos fallit spes christiana, siquidem qui se morti dedit, ut nos a morte vindicaret, talia promisit.

CAPUT VII.

DE CRISI.

200. Crisis, graeca vox, latine significat judicium, judicationem; sed Pathologi, nostro praesertim aevo, crisium nomine intelligunt mutationes, quae aliquando occurrunt plerumque vel in statu, vel in declinatione morbi, hunc sublevant, et hujus terminationem indicant, et ita de idiopathico morbo crisim exhibente ad bene dijudicandum occasionem praebent. Istae mutationes vel sunt alteri

morbi, quos ideo criticos jam nominavimus, vel naturalium humorum emunctiones, quae criticae etiam dici queunt.

201. Crises conjectare licet persaepe succedere morbis, qui antecedentem caussam ipsis inhaerentem habent: ejusmodi morbos prisci Medici dixerunt cum materie morbos, proindeque senserunt, crises fieri a certantibus naturae viribus cum morbosa materie, ut illae victrices hanc expugnarent, atque expellerent.

202. Humores, quorum ope materies morbosa expellitur, sunt sanguis, bilis, mucus, sudor, urina. Hinc criticae haemorrhagiae succedunt in morbis inflammatoriis; biliosae alvi dejectiones in febribus biliosis; mucosae in colica rheumatica; mucosae etiam expuitiones in peripneumonia catarrhali; sudores in rheumatismo, in arthritide; mictiones in hydrope.

203. Crisium alias aliis praevertunt 1.° natura morbi, 2.° aegroti aetas, 3.° sexus, 4.° temperamentum, 5.° anni tempora, 6.° primores morbi curationes. Inde fit, ut morbi inflammatorii ad criticas haemorrhagias vergant, biliosae febres ad diarrhoeas; ut infantes, et pueri ad narium haemorrhagias, adolescentes ad sudores, adulti ad haemorrhoides, senescentes ad muci, lotiique criticos fluxus sint proni; ut foeminae aptae viro per cata-

menia, puerperae per lochia criticas habeant emunctiones; ut in sanguineis temperamentis sanguineae crises sint frequentiores, et in biliosis biliosae; ut in vere criticae narium haemorrhagiae potius eveniant, in aestate critici sudores, eruptionesque cutaneae, in autumno criticae diarrhoeae, in hyeme mictiones; ut sub diaphoretica (1) primori curatione critici sudores facilius accidant, sub diuretica (2) facilius mictiones.

204. Crises aliquoties sensim fiunt, nempe per ferme naturalem perspirationem, mictionem, aliamve emunctionem; aliquoties per aliquantulum alteratas naturales excretiones, quae sic ad aliquod temporis spatium perdurant a cessato morbo. Haec lenta, inconspicua, et quasi non animadversa morborum solutio a nonnullis Pathologis dicitur lysis, quae tamen vox apud Medicinae scriptores varias obti-

---

(1) Diaphoreticus, diaphoresis a διαφορέω dissipo, disiicio. Hinc διαφορῦμαι apud GALENUM valet *immodico sudore exhaurior, et resolvor*: quare illa nomina apud Pathologos idem sonant, ac *perspiratorius*, *sudorificus*, *perspiratio*, *sudor*.

(2) Diureticus, nomen adjectivum, componitur ex graecis vocibus διὰ per, et οὖρον urina, ideoque significat per urinam, veluti promovens urinam, unde dicitur etiam diuresis, scilicet per mictionem.

nuit significationes: λύσις enim graece idem sonat, ac latine solutio, dissolutio.

205. Crisis vero minime est confundenda cum metastasi; haec enim evenit cessante quasi morbo idiopathico ex tempore, illa, perseverante: morbi critici sunt ab idiopathicis diversae naturae; morbi metastatici sunt utplurimum ejusdem indolis, ac idiopathici. Metastatici tamen, quando per bonam metastasim accidunt, veluti critici morbi sunt habendi.

206. Observarunt Medicinae Proceres, in diversis morborum generibus, et speciebus crises apparere quasi statis diebus ab ingruente morbo, istos idcirco criticos etiam, latine judicatorios appellavere, quos, seu potius crises ipsas praenuntiant et *constitutionales*, et *topicae* perturbationes.

207. Ad conficiendas crises septem dierum tractum persaepe conducere, et veterum, et nuperorum Medicorum observationes testantur. Hinc inter criticos dies constituunt Pathologi septenum, bis septenum, ter septenum, quater septenum, etc.

208. Totius Medicinae parens Hippocrates crisium doctrinam sagacibus, et diuturnis observationibus fretus stabilivit; hanc ex veteribus alii, nec non ex novissimis etiam complures, et quidem omnes in arte Medica exercitatissimi Auctores suis quoque observationibus innixi confirmarunt. Ratio insuper, si assiduas universae naturae vicissitudines,

nec non certa tempora, in quibus istae certissimae occurrunt, meditamur, nos crisium, criticorumque dierum veritatem suadere valet. Re enim vera statis temporibus frondescunt, atque florescunt plantae; statis temporibus diversorum animalium foeminae pariunt; statis temporibus conficitur dentitio; statis temporibus humanae foeminae catamenia fluunt; statis temporibus virorum genas barba signare incipit, etc.

CAPUT VIII.

DE CONVALESCENTIA.

209. Convalescentia (uti jam diximus §. 125) est infirmitatis status morbum subsequens, in quo effoetae a terminato morbo vitae vires sensim, sensimque eriguntur, ut actiones, functionesque ad naturae leges conformentur, et imbecilla valetudo reficiatur. Convalescentia igitur a terminato morbo ad refectam, confirmatamque sanitatem perdurat.

210. Praeter terminati morbi certa signa convalescentiam indicant optimam cibi appetitio, tranquillus, non nimis diuturnus somnus, quidam commodae valetudinis sensus, regulares pulsus, pacata, hilaris facies, sereni oculi, mens clara, sat perspicax, vitalis oeconomiae functiones uno verbo haud difficiles, et cujusvis molestiae ademptio.

211. Non sic bene auspicata semper contingit convalescentia; siquidem praegressi morbi genus, ac ingenium, antecedens propria convalescentis valetudo, temperamentum, aetas, sexus, climata, regiones, anni tempora, et alia minus felices producunt convalescentias, adeo ut convalescentes non raro in aliquid incommodi, et quasi morbosi abeant, sicuti in peculiarem cujusdam artus debilitatem, in pedum, atque crura oedema, et in alia similia, quae a gravi morbo organico convalescentibus quam maxime succedunt: puta a vulneribus motus difficultas; a luxationibus, a fracturis rigiditas artus, musculorum invalentia; ab ulceribus cicatricis deformitas non sine aliquo incommodo; a diu profluentibus plagis, abscessibus macies partis; a cataractae operatione oculi hebetatio; a ligatis arteriis torpor membri, etc. Aliquoties autem in pejora mala, influente adhuc primario morbo, vel hujus adjunctis, incidunt convalescentes; sed tunc non vere convalescentes dicendi sunt, qui prius a morbo non prorsus liberati in ipsum redeunt, vel in alterum delabuntur.

212. Convalescentum statum propius examinare, quomodo tunc se se habeant naturales, vitales, animalesque functiones leniter attingendo, haud inutile nobis videtur, et quidem a digestione incipiemus; utpote quae reficiendae sanitati multum praeceteris

confert. Cibi appetitus convalescentibus naturae consilio urgens est, quandoque vorax, sed isti nunquam directe respondent digerentes vires: hinc malae digestiones utplurimum eveniunt tum ob debilitata intestina, tum ob adauctam forsan absorbentem vim chyliferorum ductuum, tum ob modica corporis exercitia; unde persaepe alvus adstricta, nec adeo infrequentes diarrhoeae. Mictiones autem persaepe obsequiosae, vividae potius absorbentes potentiae.

213. Respiratio libera est, ac facilis: iis tamen, qui non a gravi pectoris morbo convalescunt; sed vel modicae corporis exercitationes hanc anhelam faciunt. Convalescentum vox non parum demittitur, nec insuavis persaepe effunditur. Sanguinis circuitus, prout pulsus detegunt, normalis est, sed plerumque lentus, quovis autem stimulo vel parco facillime adaugetur, et nimis frequens etiam evadit. Secretiones haud uberes fiunt. Venerei aestus facile in provecta praesertim convalescentia suscitantur; a venere tamen procul dubio sibi temperare convalescentem oportet, ne in calamitosa infortunia ipse ruat.

214. Sensus convalescentibus esse exquisitiores testantur istorum oculi vel modicae lucis intolerantes, aures a levi etiam strepitu alienae, sapidioris cibi, ardentisque potus ordinaria aversatio, graves,

quae eis succedunt, vel levium rerum tactiones, in ipsorum valetudinem molesta, et noxia olentium actio, facilesque animi commotiones, quibus ob levissimas caussas isti objiciuntur. Motuum organa e contrario effoeta, fracta, invalida observantur in convalescentibus, ita ut primi praecipue incessus sint laboriosi, molesti, infidi, vacillantes. Ni praegressus morbus menti speciatim offecerit, hujus facultates convalescentibus sunt minus vividae, minusque alacres; animus proinde recordationi, meditationi, attentioni, reflexioni, contentioni quasi ineptus evadit a gravissimis morbis.

215. Convalescentes sic parum valentibus vitae viribus instructos recidivis morbis, nec non alteris adventitiis facile esse obnoxios, non quemque latet; convalescentia enim, quoad virium vitalium statum respicit, infirmitati est affinis, videlicet status est infirmitatis, uti jam diximus (§. 209); sed infirmitas in morbum, convalescentia in sanitatem vergit; infirmitas insuper sub morbificae antecedentis caussae ditione adhuc esse potest, non amplius convalescentia. Ex dictis liquido patet, Pathologis etiam considerandam esse convalescentiam utpote eam vitae conditionem, quae extra prosperae valetudinis ambitum extat, et ferme ac morbosa diathesis in morbum est prona, ideoque convalescens homo

sub medentis tutela probe hygienicam debet vivere vitam.

216. Quod autem sibi velint diaeteticum regimen convalescentes, summatim indicamus. Praeter confirmantia sanationem remedia, uti continuatus usus corticis peruviani in sanatis jam febribus intermittentibus, hydrargyri in subtractis jam syphiliticis morbis, hygienes praesidiis summopere indigent, qui a morbis praecipue gravibus convalescunt. Hi ergo auras captent, et respirent puras, serenas, siccas, modice graves, rurales, apricas, nec non vitent subitas earum mutationes, atque meteora omnia, ruris amoenitatibus, civitatisque commodis perfruantur; vestibus pro aetate, et anni tempore calefacientibus potius indulgeant; balnea nunquam frigida, nec tepida abs re suscipiant; cibis pro vivendi more analepticis (1), et aliquantulum refocillantibus, nec non potionibus cerevisiae, vini, *caffè*, *thè*, coccolati modice utantur; perspirationi faveant; mictionibus obsequantur; a frequentibus, et incitatis expuitionibus caveant; commode, et per sat longum tempus placido quiescant somno; se gratis otiis, et corporis, animique exercitiis vicissim mutent, et variatis oblectationibus se recreent; studia,

---

(1) Analepticus *ἀναληπτικὸς* recuperatorius, *ἀνάληψις* recuperatio a graeco verbo *ἀναλαμβάνω* recupero.

atque vel parum violentos animi motus fugiant. Deficientia convalescentibus foeminis catamenia haud opportune plerumque urgerentur; lactantibus demum in convalescentia foeminis observatio major necessaria est, ut, quod lactentes pueri praesertim detrahunt, analepticus victus restituat.

217. Dum Pathologiae rudimentis finem imponimus, nobis liceat ultro fateri, pathologicas quidem excogitationes ad infinitum posse multiplicari ferme, ac a sapientissima natura fuere multiplicata hominum vultus lineamenta; sat ideo sit utiliora rei pathologicae in tyronibus instituendis selegisse.

THERAPEUTICES

PRÆFATIO.

218. Quando homines, invita hygiene, in invaletudines, aut in morbos incidunt, istos curare refert. Morbum curare est ejus caussas abvertere, istarum effectus emendare, vitae vires reparare, easque ad sanitatem reficiendam dirigere (prout ars sinit). Ea universae medicinae disciplina, quae res, praecepta, modos ad morborum curationem spectantia tradit, therapeutice dicta est a graeco verbo θεραπεύω sano, curo, unde etiam dicta est therapeia θεραπεία medela, curatio, et therapeutes θεραπευτὴς medicus, qui et ἰατρὸς nominatur a verbo ἰάομαι medeor, sano. Hinc Archiater ex ἀρχὸς princeps, et ἰατρὸς medicus, et Chiriater ex χεὶρ manus, et ἰατρὸς medicus.

219. Nos igitur pro nostro instituto generalia dumtaxat, quae ad morborum medelam spectant, perstringimus. In primis monere praestat, therapeutica praesidia ex tribus fontibus hauriri, videlicet

ex diaeta, sive hygiene, ex medicamentis, et ex manus operationibus.

220. Quum adsint vitae conditiones, adjuncta, in quibus aliquis est pertimescendus morbus; quum eveniant morbi, quorum sanatio amplius obtineri nequit; quum alii denique sint, qui sanari omnino possunt: hinc triplex est therapeutices scopus, scilicet morbos praecavere, insanabiles reddere mitiores, sanabiles vero radicitus abvertere, proinde vel *prophylactica* (1), vel *palliativa*, vel *eradicativa* est curatio morborum. Ita ad exemplum *prophylactica* curatio suscipitur in militibus equestribus nondum hernia laborantibus, sed huic morbo facile obnoxiis ope *bracherii*; *palliativa* in hydrocele testis cystica ope simplicis punctionis; *eradicativa* in eadem hydrocele ope incisionis, vel excisionis, etc.

221. Sicuti infirmitates, et morbi consistunt aut in laesa fluidorum indole, et copia, aut in laesa solidorum vi, structura, atque compositione; ita medentis officium est aut bonam fluidorum indo-

---

(1) Prophylacticus derivatur a verbo graeco προφυλάσσειν excubias agere, *star in guardia*. Προφυλάσσειν autem componitur ex praepositione πρὸ ante, procul, et verbo φυλάσσω, vel φυλάττω custodio, tueor, excubo, observo, caveo, vito.

lem, et copiam restituere, aut solidorum vitales vires abnormes ad naturalem conditionem redigere, vitiosam eorum structuram, et compositionem reficere, reducere, nec non aliquando malas partes auferre, ne inde universa corporis constitutio magis ac magis labefactetur. Res ergo in eo est, ut seligantur apta auxilia ad singula illa perficienda, pro quibus requiritur tum corporis laesionum, tum therapeutices praesidiorum dilucida notitia.

222. Absolutam morborum notitiam per diagnosim (1), et prognosim (2) obtinemus. Diagnosis est intellectus operatio, qua, collatis affinium morborum signis, dijudicamus praesentem morbum a quocumque simili. Morbi vero diversi primum dignoscuntur a perspicuis illorum historiis, quae communes, et peculiares uniuscujusque morbi caussas, symptomata, signa, atque periodum, nec non istorum omnium adjuncta notatu digna comprehendere debent; deinde probe discriminantur, si, quae ex dignoscendi morbi historiis, et propriis observationibus didicimus, ea plane, et omnino conve-

---

(1) Diagnosis διάγνωσις est plenior dijudicatio a verbo διαγινώσκω pernosco.

(2) Prognosis πρόγνωσις antedecretum a graeco verbo προγινώσκω composito ex πρὸ ante, et γινώσκω cognosco, decerno, antedecerno, praevideo.

niant morbo, qui ad diagnosim, et curationem accidit.

223. In perlustrandis, et explorandis iis omnibus eo magis praestabit Chirurgus, quo plenius communia totius Medicinae rudimenta edidicerit, quo magis exercita, et acria habebit sensuum organa; quo attentius, saepiusque nosocomia frequentabit, quo demum perspicaciore, subtilioreque ingenio erit praeditus, ut observata methodico ordine disponat, eaque pro re nata in memoriam revocare possit, et confusa, intricata in morbis sciat facile discernere.

224. Prognosis est intellectus operatio, qua futurus praesagitur morbi decursus, et exitus; illa a bene instituta diagnosi deducitur. Morbi quotquot sunt, uti jam innuimus (1), vel in sanitatem, vel in alterum morbum, vel in mortem abeunt. Hinc prognosis vel fausta, vel infausta, vel lethalis. Modo morbi decursus, et exitus absque ullo errandi discrimine praenuntiari potest; modo res in ancipite haeret, adeoque intricatis implicatur nexibus, ut vel peritissimos lateat. Hinc prognosis etiam modo certa, modo probabilis, modo dubia. Futura autem praevidere, atque praenuntiare aliquid est divini; ergo parum decet morborum praesertim

(1) Patholog. cap. VI de periodo.

exitus nimia asseveratione affirmare, quum vel exercitatissimi artis magistri suis saepe conjecturis aberrent. Hoc unum pro certo tenendum est, summam et in facienda, et in proferenda prognosi cautelam esse adhibendam, ut jactantiae, et turpitudinis errores saltem vitentur. Cui demum vos suo tempore jusjurandum devinciet, id vobis praenuntiamus (1): si funesta prognosis nunquam aegrotis est aperienda; suis vero, aut adstantibus periculum non est ignorandum, ut de Religionis officiis, nec non de rebus domi prudenter quidem, sed opportune aegrotantes commoneantur.

225. Cognito morbo, praeconceptaque prognosi, subeundum est ad curationis indicationem, quae definiri potest judicium illud, quod a medente eruitur circa auxilia, quae in morbi genere, specie, et differentia sunt deligenda ad illum profligandum, et ad meliorem, citioremque adipiscendam sanationem. Haec dijudicatio, sive *curativa* indicatio, uti vocatur a Pathologis, desumitur a rebus omnibus ad morbos pertinentibus, uti sunt eorum caussae, symptomata, signa, etc. Desumitur etiam a natura-

(1) Ego N. N. . . . . . . tertia quoque die postquam continua febris incesserit, et citius, ubi periculum erit, aegrum commonefaciam, ut divinis se se reficiat sacramentis, ac detrectantis curam abjiciam.

libus rebus, uti sunt aetas, sexus, temperamentum, idiosyncrasia, vivendi ratio, anni tempora, loci, salubris, vel insalubris constitutio aëris, aliaque id genus; sed prae caeteris a caussa proxima, nempe a conditione morbosa, et *locali*, et *constitutionali*, uno verbo ab essentia morbi. Haec ideo dicuntur indicantia; quae vero in usum vocantur ad indicationem explendam, auxilia appellantur indicata. Sunt qui duplicem distinguunt indicationem, nempe rationalem, et empiricam: rationalis dicitur indicatio, quando judicium a solidis ratiocinandi legibus emergit, ad trutinam revocatis vitae viribus, essentia morbi, remediorumque actionibus; empirica (1) vero nuncupatur indicatio, quando solis observationibus fulcitur, ob id, quod morbi essentia ignoratur, et quorumdam remediorum actiones minime nobis compertae sunt. Hinc ortae fuere rationalium, et empiricorum sectae.

226. Indicationi primariae interdum alia adjungitur indicatio, quae illam roborat, confirmatque, et *coindicatio* nominatur; primariae vero indicationi

---

(1) Empiricus ἐμπειρικὸς usu peritus, a πεῖρα conatus, tentamen, periculum; sed praesertim dicitur de Medico, qui artem suam ab usu tantum, et experimentis novit, et tractat, non ex caussis naturalibus. *Cels. in praef. Plin. l. 29 c. 1.*

aliquando a peculiaribus adjunctis contraria exsurgit indicatio, quae priorem respuit, et *controindicatio* vocatur. Ita *coindicantia* dicuntur adjuncta illa, quae praecipuam indicationem roborant, et *controindicantia*, quae istam respuunt. In phlegmone puta, quae accidat homini jam sanguinea plethora laboranti, apertissimum habemus *coindicationis* exemplum; phlegmone enim per se praebet indicationem mittendi sanguinis, plethora sanguinea eamdem indicationem praebet, atque confirmat, adeo ut in hoc casu phlegmone absque dubio sit potius curanda sanguinis missionibus, quam aliis remediis infirmantibus. Quid autem intelligendum sit de *controindicatione* altera exempla manifeste patefacient. Quidam morbus vomitionem expostulat, sed praesens graviditas vetat nos vomitionem ciere; siquidem haec etiam abortum provocare posset. Bubo inflammatus *controindicat bracherii* usum, quem sibi vellet hernia libera, si buboni consocietur. Vulnus vel levissimum, si venenatum a rabidi canis morsu, sollicitam cicatricem recusat, etc.

227. Therapeutica igitur disciplina praenotionibus Anatomes, Physiologiae, Hygienes, Pathologiae, materiae medicae, nec non chirurgicarum operationum peritissimo usu fulcitur, quas si notiones, et exercitationes percaluerit Chirurgus, et ingenio fuerit perspicaci, alacri, et fertili, melius quidem

variis morborum indicationibus satisfaciet; hypotheticas, et a sincera praxi alienas facilius repudiabit opiniones; solis naturae viribus relinquenda nec intempestivo remedio, nec nimis propero aggredietur; si quid autem requiratur artis auxilium, in eo seligendo, et administrando moras non injiciet Quicumque vero Hippocraticam artem pro dignitate exercere voluerit, in res medicas, atque chirurgicas toto animo, toto studio, per totum vitae curriculum incumbat, et ita magnopere humanitatis utilitati inserviet.

Sicuti jam monuimus, therapeutica praesidia desumi 1.° a diaeta, 2.° a medicamentis, 3.° ab operationibus; ita nobis dicendum est de hisce tribus therapeuticorum auxiliorum generibus, ideoque in tria capita partimur haec therapeutices brevissima rudimenta.

CAPUT I.

DE DIÆTA.

228. Quomodo prosint, quomodo obsint sanis *circumfusa*, *applicita*, *ingesta*, *excreta*, *gesta*, et *percepta* in brevissimis hygienes elementis singillatim tradidimus; inde non difficile colligere est, quomodo illa proficere, aut officere valeant et

infirmis; vix ideo in hisce primis therapeutices lineis commemorabimus rerum *connaturalium* omnium castigatum usum valde aegrotantibus opitulari, nempe diaeteticum regimen modo sufficere ad sanitatem restituendam, modo tanti esse momenti, ut caetera, absque illo, therapeutica praesidia effectum nullum, aut non nisi imperfectum in morborum curatione sint productura. Enimvero non raro acutos morbos solius diaetetici regiminis ope sanari, quotidie observant sinceri Clinici; in chronicis autem, et ferme desperatis morbis, post adhibita quam plurima medicamenta, ab uno congruo vivendi regimine recuperatae sanitatis non infrequentia prostant exempla. Hinc, praeeunte venerando semper totius Medicinae primo magistro Hippocrate, nobis concludere fas sit: quae non sanat diaeta, medicamenta sanant; quae non sanant medicamenta, Chirurgia sanat; quae vero nec diaeta, nec medicamenta, nec Chirurgia sanat, ea insanabilia sunt existimanda.

229. Hisce monitis nonnulla summatim addemus de alimentorum ratione in aegrotis, atque convalescentibus. Ac protinus scire convenit, minime confici alimentorum digestionem absque quadam digerentium organorum adaucta incitatione, quae ab ipsis alimentis obtinetur: proinde vel aeger jam nimia incitatione laborat, et tunc male haec augeretur a

consuetis alimentis, vel aeger debiles, fractas habet vires illorum organorum, et ventriculi praesertim, et tunc consueta alimentorum copia superior esset istiusmodi debilitate. Idcirco aegroti semper parcere debent alimentis, quae temperanda usque sunt, prout valent digerentes vires.

230. Alimentorum regimen in convalescentibus praeterquamquod accommodari eadem ratione debet digerentibus viribus, ut recidivus morbus devitetur, eo et usque spectet, ut apte reficiatur resurgens valetudo. Quamobrem rediens a terminato morbo appetitus ciborum bonum est signum; ex deficiente contra appetitu in convalescentia morbi nondum penitus devicti reliquiae sunt arguendae. Interea, si dubiae valetudinis maneat suspicio, haec duo sunt caute observanda: 1.° non indulgenter nimis novo appetitui obsequere: 2.° aliquamdiu nil sumto solidioris cibi, qui nimis digestioni resistat.

CAPUT II.

DE MEDICAMENTIS.

231. Medicamentum est quidquid ad invaletudinis, vel morbi curationem haud mechanico modo confert praeter hygienica praesidia. Medicamenta igitur suppeditat universum naturae imperium.

232. Medicamentorum, et alimentorum id praecipuum est discrimen, quod illa mutant, haec servant vitae virium rationem: in hoc tamen discrimine aliquid finitimi est medicamentis, et alimentis, adeo ut quaedam mutandi, servandique vitae vires utrisque sit adscribenda virtus. Verisimillimum est medicamenta alia praesertim immutare fluida, alia autem praesertim solida. Quid praesertim humores immutare valet medicamentum, magis est alimenti affine, quam quod immutandi vitales vires praecipua virtute pollet.

233. Medicamentum triplex est, videlicet simplex, praeparatum, et compositum: simplex est illud, quod ex una, et simplici naturali substantia desumitur absque ulla elaboratione; praeparatum dicitur medicamentum simplex arte alteratum, hoc est ad usum medicum aptatum; compositum vero vocatur, quod ex pluribus simplicibus, vel praeparatis substantiis simul mixtis conficitur.

234. Internum insuper dicitur medicamentum, si ore assumitur, et in ventriculum deducitur; externum, si alicui externae parti apponitur; inter utrumque sunt medicamina, quae in corporis superficiei patentia ostia introducuntur.

235. Universale remedium vocant therapeutae, quod ad universum corpus suam propagat actionem,

quodque sive internum, sive externum esse potest; topicum (1), quod suam tantum exerit actionem in parte, cui admovetur.

236. Pharmaceutica vocantur medicamenta, aut remedia, quae in pharmacopolarum officinis de more parantur, atque servantur; domestica, quae domi facili negotio parantur; extemporanea, quae brevi ubique parari possunt, sive ex simplicibus, sive ex praeparatis conficiantur.

Alia insuper sunt tam internorum, quam externorum medicaminum nomina a materiei medicae scriptoribus recepta, quibus etiamsi designatae virtutes non semper respondeant; horum tamen remediorum nomina, et significationes utpote tyronibus utilia, siquidem passim apud auctores usitata inveniuntur, *alphabetico* ordine trademus: 1.° Quoad vim illa spectant. 2.° Quoad formam. Nonnulla addemus circa generales medicaminum actiones.

SECTIO PRIMA.

Quoad vim.

A.

237. Absorbentia dicuntur medicamenta, quae absorbendi facultate pollent.

---

(1) Τοπικὸς *localis.*

Adstringentia, quae solidarum partium cohaesionem adaugere valent.

Acustica (1) dicuntur remedia, seu medicamenta, quae auditus morbis opitulantur.

Agglutinantia, *cicatrizantia*, epulotica (2), quae partes praeter naturam sejunctas coagmentare, et ad cicatricem perducere valent.

Alexipharmaca (3), seu alexiteria (4), seu antidota (5), quae venenis corrigendis, aut expellendis per cutis spiracula, aut quomodocumque inservire creduntur.

Alviduca, quae naturales alvi dejectiones promovent.

Anamnestica (6), quae memoriam revocare, et adaugere dicuntur.

---

(1) Acustica ab *ἀκουστικὸς*, ad auditum pertinens.

(2) Epuloticum *ἐπȣλωτικὸν* ex *ἐπὶ* supra, et *ȣ̓λόω* ad cicatricem perduco.

(3) Alexipharmacum *ἀλεξιφάρμακον* ex *ἀλέξω* arceo, propulso, et *φάρμακον* venenum.

(4) Alexiteria *ἀλεξητήρια* ex *ἀλέξω* propulso: quasi propulsantia venenum.

(5) Antidotum *ἀντίδοτον* ex *ἀντὶ* contra, et *δίδωμι* do, sumitur praecipue pro remedio, quod datur contra venenum.

(6) Anamnestica a verbo *ἀναμιμνήσκω* recordari facio.

Anthelminthica (1), quae vermes enecant, et expellunt.

Aphrodisiaca (2), quae venereum aestrum excitare, et antiphrodisiaca, quae ad ipsum coërcendum valent.

Anodyna (3) sunt, quae dolores tollunt, aut sedant. Hinc paregorica (4), quae demulcendo, leniendo; somnifera, vel hypnotica (5), quae somnum conciliando; narcotica (6), quae torporem, soporem inducendo talia praestant.

Antacida (7), quae acidos humores chemico modo corrigunt.

Antacria, quae acrimoniam tollunt.

Antifebrilia, quae febri; antihectica, quae febri hecticae opitulantur.

---

(1) Anthelminthica ex ἀντὶ contra, et ἕλμινθες lumbrici.

(2) Aphrodisiaca ex ἀφροδίτη Venus.

(3) Anodyna ex α particula privativa, et ὀδύνη dolor.

(4) Paregorica a παρηγορέω consolor.

(5) Hypnotica ab ὕπνος somnus.

(6) Narcotica ex verbo ναρκάω torpeo.

(7) Commonemus, vocabula composita ex ἀντὶ contra, et ex alio morbi nomine tum graeco, tum latino significare remedia contra morbum in ipso vocabulo designatum.

Antihysterica, quae hystericas, et hypochondriacas passiones profligant.

Antiphlogistica, quae *inflammatorios* morbos juvant.

Antiscorbutica, quae scorbuto auxiliantur.

Antiseptica (1), quae putrefacta corrigunt.

Antispasmodica, quae spasmodicos affectus fugant.

Antisyphilitica, quae syphiliticum virus corrigunt, aut expellunt.

Aperientia, quae obstructos, ut ajunt, meatus aperiunt; hoc est secretiones, et excretiones imminutas revocant, liberioremque humorum circuitum reddunt.

Aristolochia (2), quae lochia provocare valent.

Attenuantia, quae fluidarum partium cohaesionem imminuere credita sunt.

B.

Balsamica, quae corpori quid balsamici tribuunt.

Becchica a βὴξ βηχὸς tussis, quae tussi opitulantur.

---

(1) Antiseptica ex ἀντὶ, et σήπω putrefacio, unde σηπτικὸς putridus.

(2) Aristolochia ex ἄριστος optimus, et λοχὸς puerpera, quia puerperis optime opitulantur earum expurgationes promovendo.

C.

Calefacientia, quae calorem corpori tribuere credita sunt.

Cardiaca appellantur, quae cordis languentes vires excitant.

Carminativa ex latino verbo carminare dicta, italice *scardassare*: sensu vero translato carminativa remedia dicuntur, quae molestos flatus excutiunt, expellunt.

Cathartica remedia purgativa. Καταρϑικὸς enim latine vertitur purgandi vim habens.

Caustica (1), quae partes humani corporis vivas adurere, aut destruere sunt apta.

Cephalica, quae capitis morbis occurrunt.

Chologoga (2), quae bilis secretionem, et excretionem promovent, nominantur.

Coagulantia, quae partes fluidas cogunt.

Consolidantia, quae reviviscentibus partibus ulcerosis soliditatem, ac cohaesionem impertiuntur.

Coriaria quaedam externa remedia, quae ceu principio *tannin*, *conciante* scatentia valent partes corii instar cogere, atque indurare.

---

(1) Causticus a καίω uro, incendo.

(2) Chologoga ex χολὴ bilis, et ἄγω duco, educo.

D.

Demulcentia. Vid. Anod.

Deobstruentia, quae ad obstructiones tollendas conveniunt.

Depurgantia, quae ad impura e corpore eliminanda valent.

Diaphoretica, quae cutaneam perspirationem promovent; sudorifica vero, si sudorem.

Digerentia, vel digestiva sunt externa medicamina, quae ulceribus applicita favent bonae puris productioni.

Diluentia, quae aquosi fluidi accessione sanguinis fluiditatem adaugent.

Diuretica, quae urinae secretionem, et excretionem promovent.

Discutientia, quae textuum durities vitae vires incitando discutiunt, et earum resolutionem, aut suppurationem promovent.

Drastica a δραστικὸς actuosus dicuntur remedia purgantia admodum actuosa.

E.

Ecbolica ab ἐκβάλλω ejicio generatim dicuntur remedia, quae quascumque ejectiones promovent, sed ab Hippocrate speciatim, quae foetus exitum.

Eccoprotica, quae alvi excretionem leniter promovent; siquidem verbum graecum ἐκκοπρίζω significat alvi faeces depono.

Emmenagoga, quae menstruum fluxum provocant: ἔμμηνα enim idem valent, ac catamenia, et ἄγω duco. Remedia igitur emmenagoga dicuntur, quae catamenia, menstruas nempe expurgationes ducunt, promovent.

Emollientia dicuntur, quae humiditate, atque tepore solidum vivum laxant.

Epicratica remedia idem sonant, ac attemperantia: ἐπικρατικὸν enim proprie significat attemperandi vim habens. Sed epicraticae praecipue dicuntur curationes paullatim institutae, nec non remedia paullatim, et per intervallum exhibita (1).

Epispastica (2), seu vesicatoria, quae serum e partibus, quibus applicantur, in vesicam epidermoïdeam attrahunt.

Errhina (3), quae sternutationis ope narium mucos cient; dicuntur etiam ptarmica (4).

---

(1) Vid. Galen. de methodo medendi lib. IX. cap. 10. et Dioscor. lib. 2. cap. 53.

(2) Epispastica ex ἐπὶ super, et σπάω traho. Hinc remedia supertrahentia, attrahentia.

(3) Errhina ab ἐκ ex, et ῥίνες nares. Quasi mucos ex naribus educentia remedia.

(4) Ptarmica ex πταρμὸς sternutatio.

Escharotica (1), quae corrosivam vim supra solidas viventis humani corporis partes exercent, ibique crustam, escharam inducunt.

Exanthematica, quae cutaneas efflorescentias, seu eruptiones promovent.

Expectorantia, quae muci secretionem, et excretionem e bronchiis, atque pulmonibus adjuvant.

Exsiccantia, quae humidas partes reddunt siccas.

G.

Galactophora, quae lactis secretioni adaugendae inserviunt. Dicta ex γάλα lac, et φέρω fero.

H.

Hepatica, quae hepatis; nephritica, quae renum; odontalgica, quae dentium; pectoralia, quae pectoris; stomachica, quae ventriculi; uterina, quae uteri; nervina, quae nervorum; ophthalmica, quae oculorum morbos adjuvant.

Hydragoga ex ὕδωρ aqua, et ἄγω duco sunt medicamenta purgantia, quae aquam, serum ex intestinis per alvum educunt.

---

(1) Escharoticum ἐσχαρωτικὸν medicamentum incrustativum: crusta enim graece vertitur ἐσχάρα.

I.

Inviscantia, quae sua viscosa qualitate partes oblinire valent.

L.

Lactifuga, quae lactem e mammis depellunt alvum ducendo, nec non secretiones, et excretiones alias promovendo.

Lithonthryptica (1), quae ad calculos, et calcares concretiones solvendas valere credita sunt.

M.

Maturantia, quae in tumoribus puris generationi, ac perfectioni favent.

Melanagoga, ex μέλας ater, et ἄγω duco, educo, expello. Quasi remedia, quae expellunt atros humores, nempe atram bilem.

Mundificantia, cathaeretica (2), quae ulceribus sordidis prosunt, validius excitando vitales proprietates, uberioresque suppurationes promovendo, et sic malas carnes destruendo.

---

(1) Lithonthryptica ex λίθος calculus, et θρύπτω frango, solvo.

(2) Cathaeretica ex verbo καθαίρω purgo, mundo.

O.

Obstipantia, quae alvum coërcent, obstipant.

P.

Phlegmagoga (1), quae pituitae excretionem sollicitant.

Phthiriaca a φθεὶρ pediculus sunt medicamenta, quae pediculos enecant.

R.

Refrigerantia, quae corpori refrigerium impertiuntur.

Repellentia, repercutientia, reprimentia, quae humores ab exterioribus ad interiora propellunt, solido corrugando, adstringendo.

Resolventia, quae tumorum resolutioni favent.

Roborantia, quae corpus firmant, deperditasque vires reficiunt.

Rubefacientia, quae in cute levem inflammationem excitant, proinde ruborem.

S.

Sarcotica (2), quae carnis regenerationi, ejus consolidationi, et cicatrici inducendae favent.

---

(1) Phlegmagoga ex φλέγμα pituita, et ἄγω educo.

(2) Sarcoticus a σάρξ σαρκὸς caro carnis.

Sialagoga dicuntur remedia, quae salivam provocant. Sic dicta ex σίαλον saliva, et ἄγω educo.

Sistentia, vel styptica (1), quae adauctas excretiones aut imminuunt, aut sistunt.

T.

Tonica a τόνος tensio sunt, quae universae constitutioni, vel alicui tantum parti vitalem tensionem, nempe robur producunt, firmant, adaugent.

V.

Vomitoria, seu emetica (2), quae vomitum provocant.

Non omnino negligendae sunt a nuperis institutae medicamentorum distinctiones, videlicet 1.° quoad medicamina spectant ad vitales cujusque diathesis curationem, 2.° quoad ipsa spectant ad systema, organum, organorum apparatum, in quae speciatim agere creduntur. Secundum diathesim vitalem medicamenta discernuntur a nonnullis rerum medicarum scriptoribus, et quidem a novissimis in *stimulantia*, et in *contro-stimulantia.* Prima dicuntur, quae facultate propria vires eri-

(1) Stypticus στυπτικὸς a στύφω adstringo idem sonat, ac habens vim adstringendi.

(2) Emetica ex ἔμετος vomitus.

gunt; secunda, quae deprimunt, videlicet quae stimulantibus contrariam actionem exercent, virtute etiam propria; medicamenta vero, quae speciatim agunt in quaedam systemata, organa, etc. dicuntur agentia in dermoïdeum systema, in respirationis organa, in digerentium organorum apparatum, etc.

SECTIO SECUNDA.

Quoad formam.

238. In primis animadvertere refert, remedia, quoad formam spectant, alia esse fluida, alia solida.

Fluida.

A.

AEther (1) est medicamentum liquidum, admodum volatile, et suave olens, quod ex alkoole, et pluribus acidis speciatim mineralibus conflatur.

Apozema (2) est decoctum ex variis simplicibus paratum, et saccharo, aut syrupo edulcatum.

---

(1) Æther αἰθὴρ ex verbo αἴθω accendo. Revera ista medicamina facile accenduntur.

(2) Apozema ἀπόζεμα decoctum ab ἀποζέω fervefacio.

C.

Clyster, clysterium, clysma, vel enema (1) fluidum etiam medicamentum appellatur, quod per corporis hiatus intra partem aliquam injicitur; vulgo autem significat ejus injectionem in rectum intestinum.

Collutorium dicitur medicamentum, quod sub forma semper liquida in usum vocatur pro variis oris affectionibus ad fauces, nec non ad os colluendum.

D.

Decoctum item medicamentum fluidum est, quod ex stirpibus coctionis ope paratur, mediante aqua: ptisana (2) etiam dicitur, si tenue decoctum est, et paratum ex cerealibus, sed praesertim hordeo, quae cerealia coctionis ope decorticantur. Decocto utimur sive pro potu, sive pro fotu, sive pro lotione, etc.

E.

Emulsio ab emulgendo dicta est potio lacteum colorem, et spissitudinem referens ex seminibus, nucleisque oleo divitibus parata aquae affusione.

(1) Clyster χλυστὴρ ablutio a verbo χλύζω abluo. Enema ἔνεμα id, quod infunditur, immittitur ex ἐν in, et ἕω mitto.

(2) Ptisana ex verbo πτίσσω tundo, decortico.

G.

Gargarisma (1) liquor est, qui ore hauritur, et in posterius oris cavum defertur, ibique agitatur ad aegrotas partes abluendas, discutiendas, et abstergendas, nec non propriis gargarismatis virtutibus aliter medicandas.

H.

Hydromel remedium ex aqua, et melle compositum nomen constat ex ὕδωρ aqua, et μέλι mel.

I.

Infusum fit, quando aliquid medicamentosi educitur e diversis substantiis alicujus ferventis liquoris ope.

Jusculum vero, quum ex carnibus, vel aliis animantium partibus nutricia educantur elementa coctionis ope in aqua; quod si magis diutina coctione ad majorem spissitudinem reducatur, jusculum consummatum dicitur; gelatina demum appellatur, quando jusculum ex gelatinosis animalium partibus praecipue paratum ad tantam reducitur spissitatem sufficientis coctionis ope, ut refrigeratum abeat in corpus consistens, et sat solidum.

---

(1) Gargarisma a γαργαρίζω os aqua colluo: γαργαρεών enim significat gurgulionem, sive columellam, gutturis partem, et sumitur etiam pro gutture.

L.

Linctus, looch ab Arabibus, est medicamentum ex mucilaginibus, vel gummi, et syrupo utplurimum confectum, quod haustum ad leniendas fauces perutile evadit.

Linimentum dicitur medicinalis substantia tenacitatis mediae inter oleum, et axungiam, qua substantia partes illiniuntur.

Liquores varii distillatione parantur, uti aqua, olea volatilia essentialia, et liquores ardentes nunc alkoolizati dicti, sive alkooles, quae omnia in usum medicum etiam vocantur.

M.

Maceratio fit, quando aqua, vel liquor alius super vegetalibus substantiis effunditur absque ignis subsidio, ut principia, quibus illae scatent, affusus liquor absorbeat.

Mixtura vero fit, quando plures medicamentorum species in liquiditatis statu commiscentur, sed non *chemice* dissolvuntur, adeo ut mixtura ante usum semper exagitari oporteat, ne commixta vasis fundum petant.

O.

Oxymel remedium ex acido, sed utplurimum aceto, et melle compositum nomen constat ex ὀξὺς acidus, et μέλι mel.

S.

Succi etiam plerarumque stirpium occurrunt inter liquida medicamenta recensendi, qui succi expressione eliciuntur, adjecta interdum aqua, et calorici ope.

Syrupus medicamen est ex decoctis, vel succis, et saccharo, vel melle confectum, et eo spissitatis redactum, ut ejus gutta super marmoreo plano non defluat. Julepus, seu lambitivum dicitur medicamentum ex decocto, sive aqua stillatitia, et syrupo, aut saccharo paratum, quod minoris sit spissitudinis, quam syrupus.

T.

Tincturae nomine intelligitur extractum liquidum coloratum, quod magnam extractae substantiae virtutem continet.

Solida.

B.

Bolus graece βῶλος dicitur solidum medicamentum, quod una vice glutiri potest.

C.

Cataplasma (1) est medicamentosa puls, quae

---

(1) Cataplasma κατάπλασμα : καταπλάσσω, aut

calida plerumque, et linteo panno involuta aegris partibus imponitur.

Ceratum medicamentum est ita dictum ex eo, quod cera ejus praecipuam substantiam constituit. Id tantae tenacitatis est, ut non nisi igne prius mollitum extendi super linteum, aut alutem possit.

Collyrium (1) nunc temporis dicitur medicamentum aut liquidum, aut solidum, cujus applicatione oculorum morbis opitulamur.

Confectionis nomine nostro aevo intelligimus cardiacum, sive incitans electuarium.

Conserva est massa praesertim ex floribus, herbis, fructuum pulpa, et saccharo artificiose confecta, quae ita conservationi apta evadit.

E.

Electuarium, electarium etiam vocatum medicamentum est conserva mollius, et plerumque constans ex medicamentis durioribus in pulverem redactis, una cum syrupo, melle, aut alia melliginea substantia accurate commixtis.

καταπλάττω illino, oblino, cataplasma impono, cataplasmate curo, medeor. Cataplasma igitur ex κατὰ ad, et πλάσμα linimentum, veluti remedium ad linimentum.

(1) Collyrium κολλύριον quasi ex κωλλύω sisto, arceo, et ῥοὴ fluxus, ut sit remedium sistens fluxum generatim.

Emplastrum (1) est quid cerato similis, sed minus tenax.

Epithema (2) apud recentiores medicamentum liquidum significat, quod panno, spongia, linteo, stupa exceptum parti alicui apponitur. Apud veteres denotabat medicamentum externum, compositum vel ex ceratis, vel emplastris, vel unguentis super partem aliquam etiam imponendum.

Extractum dicitur substantia concreta, quae elaboratione Pharmaceutica separatur a variis corporibus, in quibus illa commixta, et diluta sistit, et ita quasi pura, ideoque maxime actuosa obtinetur.

M.

Malagma, vox derivata a graeco verbo μαλάττω mollio, est fomentum maxime ex floribus, eorumque etiam surculis factum, quod integrae cuti imponitur ad apostemata, aliosve tumores praeter naturam molliendos. Malagma igitur est cataplasmatis species.

O.

Opiata, seu opiatum aut lata, aut stricta significatione sumitur. Opiata late sumpta significat etiam

---

(1) Emplastrum ἔμπλαστρον ab ἐμπλάττω subigo, versando mollio.

(2) Epithema ex ἐπὶ super, in, et θέμα positio; valet ideo impositio.

confectionem, aut electuarium extemporaneum; stricte autem non nisi horum species, in quibus ingreditur opium, denotat.

P.

Pastillus, graece trochiscus τροχίσκος, medicamentum est quoddam siccum, solidum, ex saccharo, et pulveribus variis confectum, cui diversa datur forma, ut ore commode contineri possit, ibique facile liquefiat.

Pilula, quoad nomen attinet, sat intelligitur; quoad medicamen ex multiplicibus, et variis substantiis confiari potest. Sed quomodocumque confectae pilulae vel pulvere non ingrato, vel argenteis foliis obvolvuntur, ne simul coalescant, et quo facilius, commodiusque glutiantur, nec non ut ingratae earum qualitates gustui eludantur.

S.

Sal corpus est in crystallos (1) redactum, et in aqua solubile, quod ex tribus naturae regnis haberi potest modo naturaliter, modo artificiose.

Suppositorium apud veteres significabat balanum, glandem ratione figurae, apud recentiores denotat

(1) Crystallus κρύσταλλος ex κρύος frigus, et στέλλω contraho. Quasi frigore contractus, nempe glaciatus.

medicamentum soliditate sat firmum, figura teres; quod in anum immittitur, ut vis expultrix, dum pigra est, incitetur, et hinc faecales materies ejiciantur. Suppositorium vel simplex est, uti ex plantarum caule, aut radice, aut ligno, uti ex lardo, cera, saccharo; vel compositum, uti ex melle, vel aliis excipientibus cum irritantibus quibuscumque substantiis remixtis, quibus simplicia suppositoria illiniuntur, ut horum efficacia adaugeatur.

T.

Tabella non nisi plana, et rotunda figura differt a pastillo, iisdemque usibus assumitur.

Trochiscus (1), nunc temporis dicitur siccum medicamentum forma rotundum instar frumentosi grani, natura persaepe escharoticum. Hujusmodi trochiscis utimur ad strumosas glandulas consumendas, vel destruendas.

U.

Unguentum est medicamentum externum pinguedinis, aut mellis instar consistens, et calore li-

---

(1) Trochiscus τροχίσκος ex τρέχω curro, valet rotulam, seu orbiculum. Hinc dictum fuit medicamentum, quod in orbiculos fingitur.

quescens. Paratur ex oleo, axungia, cera, gummi, resina, plantarum succis, et variis aliis substantiis: proinde variae sunt unguentorum concelebratae virtutes, in quorum tamen usu minus confidit hodierna Chirurgia.

SECTIO TERTIA.

De generalibus medicamentorum actionibus.

239. In fluidas, atque solidas vivi corporis partes agere medicamenta res est certissima: quae in primas suam exerunt actionem medicamina, illarum principia immutant absorptionis ope; quae in alteras sive directe, sive sympathice languentes vires excitant, furentes compescunt, vel abnormes dirigunt, nec non organicam compagem physica lege aut laxant, aut coërcent sive absorptionis, sive unius applicationis ope. Hisce medicamentorum actionibus addenda insuper est topica quorumdam actio sive chemico, sive non sat comperto modo correctrix.

240. Non tantum Clinicorum refert inquirere, utrum primitus in solida viva agant medicamenta, an in fluida, quantum referat investigare, utrum agant praesertim in solida, an praesertim in fluida.

241. Absorbendis medicamentis universus corporis ambitus patet, nec non amplae digerentium

viscerum viae; applicationi autem medicamentorum non omnes patent aegrae partes, ideoque tunc remediorum administratio eo dirigenda est, ut vel per faciliorem absorptionem, vel per vividiorem sympathiam munere suo remedia in aegrotis partibus fungantur.

242. Licet nemo inficias eat, a remediis absorptis humorum qualitates immutari, non secus ac ab ingestis cibis servari; fatendum tamen est, horum medicamentorum actione affici etiam vitales solidorum proprietates.

243. Absorberi nonnulla remedia, ideoque quamdam actionem exerere in fluida, manifestum est ex eo, quod sanguis, urina, aliique humores idem ipsum redolent, sapiunt, eodemque colore tinguntur, ac ingestae, vel applicitae quaedam substantiae medicamentosae. Ita therebentina ingesta sui generis odorem sanguini, et lotio tribuit, haud aliter asparagi; ita lac ovium, dum in alpibus istae degunt, aromaticas, quibus vescuntur, sapit herbas; ita rhabarbarum luteo colore lotium tingit; ita rubia tinctorum ruborem ossibus impertitur.

244. Actio remediorum in vitae vires sive directa, sive sympathica elicitur ex eo, quod istorum effectus suboriantur, antequam liceat conjicere per circuitionis vias traductam esse medicaminis materiem; directam remediorum actionem demonstrant

hausta emetica, et alviduca; sympathicam declarat ammoniaca liquida naribus admota, a qua homo asphyxia correptus momento temporis excitatur, ac reviviscit; sympathicam actionem testantur etiam cardiaca remedia, a quibus ingestis illico restauratur, atque refocillatur universa corporis constitutio, propterea quod cordis vim erigere illa sunt potis.

245. Frigida, et calida remedia physicam etiam actionem exercent in solida viva; siquidem physico modo eorum compagem illa coërcent, haec laxant.

246. Super putridas corporis animalis plagas acida remedia chemicam exercent actionem: acida nempe se se putridis substantiis commiscentia earum ammoniacam neutram efficiunt, multimodis praeterea illas immutant, et ideo partibus vivis innoxias reddunt. Colicas a gaz acido carbonico prognatas juvat clyster ex aqua calcis paratus, utpote quae illud avidissime absorbere valet. Magnesia calcinata in ventriculum demissa ejus acidos humores neutros facit, proinde prodest cardialgiae ab acidis subortae. Hydrargyri praeparata syphiliticum virus corrigere credibile prorsus est, quin sat innotescat hucusque ratio, qua id operis contingat.

247. Nil demum vetat credere, complura remedia eodem tempore agere et in humores sive chemico, sive ignoto correctore modo, et in vitae vi-

res tum directe, tum sympathice, et in physicas etiam solidarum partium proprietates.

248. Medicamenta caeteroquin alia prae aliis proficere systematibus diversis nunc temporis creduntur; ita ut a substantiis oxygeno scatentibus musculorum robur augeri, ab affluentibus hydrogeno aliis sive puro, sive azoto, et carbonio commixto nerveam vim intendi, et contra a substantiis aliis illa principia efferentibus ex musculis, et nervis vitales horum proprietates remitti, nonnulli rei medicae scriptores tradunt.

249. In diversa autem organa suos exerere effectus alia prae aliis medicamina res est compertissima: cantharides ad exemplum speciatim organa *urinaria* afficiunt; tartarum stibiatum, seu tartratum potassae antimoniatum, ipecacuanha ventriculum; rhabarbarum, aloës intestinalem tubum; hydrargyrum salivales glandulas, etc.

250. Ut remedia bene, appositeque, quantum nobis licet, administrentur, summopere spectanda sunt non modo morbi genus, species, differentiae; sed aegri etiam aetas, sexus, temperamentum, idiosyncrasia, vivendi genus, consuetudines, anni tempora, aliaque complura tum corporis, tum animi adjuncta; ista enim omnia medicaminum actioni vel favent, vel refragantur. Ita ad exemplum aliud sibi vult inflammatio, aliud oedema; minus infirmanti-

bus remediis indiget furunculus, quam phlegmone; non prorsus eamdem curationem admittunt erysipelata ab interna caussa, et ab externa prognata; adolescens quaedam respuit incitantia medicamenta, quae senescenti sunt prorsus accommodata; ita etiam ea minus foeminis, quam viris conveniunt; minus quoque sanguineo, et nervoso, quam lymphatico, et melancholico homini; nonnulli ab ingesto oleo male se habent; alii a rhabarbaro, ab opio, ab applicitis cantharidibus pessime turbantur; alii nulla hydrargyri ferunt praeparata; qui longa inedia sit infirmus, is vel a blandis remediis magnopere afficitur; cui tabacci, *thè*, *caffè* assiduus est usus, ille ab istis vix, aut nihil commovetur; sudorifica remedia minus certe congrua sunt aestivo, quam hyemali tempore; quis a gravi morbo vix convalesceret, aut moerore afficeretur, minus quam quis antea optime valeret, aut ira incenderetur, infirmantibus remediis indigeret.

251. Hoc demum nostrum monitum lubentibus auribus, memorique animo excipiatis optamus: medicinalium substantiarum virtutes generales, et speciales ex materiei medicae auctoribus; praeparationes, atque compositiones ex pharmacopoeis (1);

---

(1) Pharmacopoea ex φάρμακον medicamen, et ποιέω

doses (1) ex tractatibus de dosibus; administrationes ex prudenti usu clinico ediscite, optimi.

CAPUT III.

DE CHIRURGICIS OPERATIONIBUS.

252. Chirurgiae nomen, quod a prima totius medicinae divisione in hanc diem significat ejus partem, quae manus potissime operationibus medetur, primitus medicas manuum operationes ipsas tantummodo denotabat, uti eruere est ex Hippocratis codicibus, cujus aevo nulla adhuc extabat medicae artis divisio.

253. Missis localibus medicationibus a Chirurgo quotidie remediorum applicatione peractis, quae quidem manuum opera fiunt, operatio chirurgica definiri potest artificiosa quaevis ad salutiferos fines instituta tractatio manu instrumentis vel armata, vel vacua. Chirurgicas primum operationes ad duo summa capita referemus; nimirum alias auxiliares, alias praecipuas vocamus.

---

facio latine vertitur medicaminum officina; sumitur etiam pro libro, qui eorum formulas, compositiones docet.

(1) Dosis δόσις a verbo δίδωμι do, dono, nempe quantitas medicamenti, quae dari potest tum singillatim, tum in totum.

254. Primas intelligimus, quae non speciali morbo sunt dicatae, sed morbis diversis una cum diaetetico regimine, atque medicamentis sociatae opitulantur, et quibus indiscriminatim utuntur tum medici, tum chirurgi in morborum curationibus: hujusmodi sunt cucurbitarum, hirudinum applicationes; vesicantium, rubefacientium admotiones, venae, arteriaeve sectiones ad sanguinem mittendum (1); cauteriorum varii modi; setaceorum trajectio; frictiones; punctiones; scarificationes. Istis addere etiam possumus variolae, et vaccinae inoculationes.

255. Secundas intelligimus, quae adeo specialibus morbis sunt addictae, ut ex iis uniuscujusque ope solummodo sanari possint quidam morbi, et hisce operationibus una utitur Chirurgia: istiusmodi est foetus extractio sive per naturales vias, sive per non naturales caesionis ope, quae operatio persaepe foetus, matrisque vitam uno tempore servat; cataractae depressio, aut extractio, cujus gratia pretiosissimus visionis sensus restituitur; lithotomia (2), quae calculo laborantem ab atrocibus crucia-

---

(1) Sectio venae dicitur phlebotomia, arteriae arteriotomia: hae voces conflantur ex φλὲψ βὸς vena, ἀρτηρία arteria, et ex τομὴ sectio.

(2) Lithotomia ex λίθος calculus, et τομὴ sectio: unde

tibus liberat; kelotomia (1), qua intercludens intestini canalem laqueus illico solvitur, et quae ita fere certa morte eximit aegrum; arteriarum compressio, et ligatura, quae operationes fugientem cum vita sanguinem sistunt; demotorum ossium reductio, qua unice mederi possumus istis morbis; et aliae demum complures chirurgiae operationes, quae tantam artem triumpho donant. Chirurgia enim certe salutifera per se absque alieno auxilio homines quasi ab orci faucibus revocare potentissime valet.

256. Operationum praecipuarum systema secundum salutiferos fines, propter quos illae instituuntur, in VIII. ordinibus commode tyronum gratia comprehendere censemus.

In 1.° Recensemus eas, quae instituuntur ad conglutinandas divisas partes.
2.° Quae ad reducendas partes dimotas.
3.° Quae ad dividendas coalitas partes.
4.° Quae ad dilatandos canales obstructos.
5.° Quae ad fluida evacuanda.

---

proprie sectionem calculi significat; sed nos sumimus pro sectione hominis calculo laborantis.

(1) Kelotomia ex κήλη hernia, et τομὴ sectio, videlicet sectio herniae.

6.° Quae ad solidas partes extrahendas.

7.° Quae ad amputandas nocentes partes.

8.° Quae ad aliquid substituendum partibus deficientibus.

257. Istas operationes chirurgus statis artificiis, aut variatis, uti occasio fert, modis ad rem excogitatis, diversisque instrumentis, et machinis exequitur; fasciis, aliisque quamplurimis rebus perficit; medicamentis, nec non diaetetico regimine prosequitur. Haec omnia vos alteri professores et disciplinis, et exercitiis abunde, solliciteque docebunt. Nunc pauca de chirurgo.

258. Ex traditis plane, recteque consequitur, chirurgum sibi velle et rerum medicarum disciplinas, et operationum exercitium, atque peritiam. Hinc haud bene crederetur chirurgus, qui vel totius medicinae partibus eruditissimus chirurgicarum operationum usu careret, et item male salutaretur chirurgus, qui in chirurgicis operationibus vel exercitatissimus communia utrique medicinae elementa ignoraret: re quidem vera inexercitus prior parum utilis ob timiditatem esset; audax alter ob exercitium, quod empiricum vocare liceat, noxius persaepe evaderet. Hoc (heu nimis!) experientia sat compertum habemus.

259. Quoniam vero chirurgica ars cum medica,

sicuti alibi innuere occasio tulit, ita connexa est, ut ex toto separari istae non possint, oportet, ut medicus, et chirurgus, quibus quandoque una simul aegrorum sanitas quaerenda est, concorditer agant, ne in diversas curandi vias procedant, et sane exoptandum prorsus est, ut isti potius, quam de nobilitate, dominio, jure, privilegio sibi vel concreditis, vel arrogatis continuo certent, alter alterum ex amico corde pro infirma hominum specie mutuis consiliis juvet.

260. Chirurgum, qualis caeteroquin is esse debeat, Celsus descripsit hisce verbis (1): « esse autem » chirurgus debet adolescens, aut certe adolescen- » tiae propior; manu strenua, stabili, nec unquam » intremiscente, eaque non minus sinistra, quam » dextra promptus; acie oculorum acri, claraque; » animo intrepidus, immisericors sic, ut sanari » velit eum, quem accepit, non ut clamore ejus » motus, vel magis, quam res desiderat, prope- » ret, vel minus, quam necesse est, secet: sed » perinde faciet omnia, ac si nullus ex vagitibus » alterius affectus oriretur ».

261. Chirurgus insuper aegrotorum, nec non adstantium gratiam sibi conciliare studeat honestate,

---

(1) De Medicina libr. VII praef. pag. mihi 406.

modestia, omni animi moderatione, et laborum, taediorumque patientia; quamvis non raro immisericors esse debeat, caveat tamen, ne immansuetus, agrestis, crudelis, et efferatiorum morum aliis videatur; sincerus semper a fucata virtutis specie abhorreat; non projiciat ampullas, nec sexquipedalia dictitet verba; non histrionum more gloriando se se efferat; aequales, sociosque aequo animo ferat; omnia ex optimae mentis conscientia agat; nihil autem temere, nihil ex lucelli, vel gloriolae cupiditate. Numquam enim, qui aliter se gerunt, in laude, et gratia sunt apud prudentes viros, et paullisper tantum apud vulgares.

Conclusio.

262. Dum hisce primis therapeutices doctrinis finem imponimus, nonnullas addemus praestantium in medendi arte virorum sententias, ad quarum regulam vos etiam usque dirigatis vehementer hortamur.

1.° Non post rationem medicina inventa fuit, sed post inventam medicinam ratio quaesita est.

2.° Duo in medicina fulcra sunt ratio, et experientia: experientia praecedit, ratio sequitur. Hinc rationes in rebus medicis, experientia non comite, nihil valent.

3.º Duo in morborum curatione praestanda sunt, juvare, aut saltem non nocere.

4.º Nullum est praescribendum remedium, quin prius curationis indicatio statuta fuerit.

5.º Alimenta, nec non medicamina a toxicis (1), seu venenis non natura, sed dosis distinguit.

6.º Paucis utatur Medicus remediis, iisque selectis.

7.º Qui potest mederi simplicibus, frustra, et dolose quaerit composita.

8.º Qui longas remediorum formulas praescribit, aut dolo peccat, aut ignorantia.

9.º Qui miscet contraria contrariis, aegrum, pharmacopolam (2), et se ipsum pessumdat.

10.º Medicamentis uti, nisi in vehementibus malis, supervacaneum est.

11.º Medicamenta heroica in manu imperiti sunt uti gladius in dextera furiosi.

12.º Natura repugnante, medicina minime proficit.

---

(1) Toxicum τοξικὸν dicitur venenum quodvis ob id, quod barbarorum sagittae eo collinirentur: τοξικὸς enim proprie significat sagittarium.

(2) Pharmacopola φαρμακοπώλης ex φαρμάκον remedium, et πωλέω vendo. Graeci habent etiam vocem φαρμακοποιὸς, quae proprie significat eum, qui facit, componit medicamina; φαρμακοποιὸς enim componitur ex φάρμακον, et ποιέω facio.

13.° Natura autem arte adjuta interdum facit miracula.

14.° In extremis morbis extrema remedia.

15.° In admodum periculoso morbo melius est anceps, quam nullum experiri remedium.

16.° Nulla superstite in morbo spe melius est, ut aeger pereat vi morbi, quam vi remedii.

17.° In morborum curatione urgentioribus semper est succurrendum.

18.° Nil autem interest, an satis tutum praesidium sit, quod unicum est.

19.° Barbari plus ad augmentum medicaminum contulerunt, quam omnium aetatum scholae.

20.° Qui et multa, et utilia scit, ille sapit.

263. Sic hygienes, pathologiae, et therapeutices rudimentis brevi expeditis, gradum faciemus ad nosologiae epitomem (1), quae morborum genera quasi in picta tabula comprehendet. Hujusmodi dehinc nosographiam cum morbis ipsis tamquam illius archetypis (2) suo tempore conferemus in Regio

(1) Epitome ἐπιτομὴ ab ἐπὶ in, et τομὴ caesio, unde incisio, seu recisio, qua aliquid brevius fit: item id, quod tali recisione decurtatum est. Epitome igitur valet etiam compendium.

(2) Archetypus ἀρχέτυπος ab ἄρχος primarius, et

nostrae civitatis ptochotrophio (1), ut pro nostro munere non solum in theorica (2) morborum studia, sed in practicas etiam horum cognitiones per breviorem viam ingrediamur secundum SENECAE non dubiam sententiam: *longum iter per praecepta, breve, et efficax per exempla.*

τύπος figura, exemplar; ideo primaria figura, primarium exemplar.

(1) Ptochotrophium ex πτωχὸς pauper, mendicus, et ex τρέφω alo, nutrio: hospitium nempe, in quo pauperes aluntur.

(2) Theoricus a θεωρία contemplatio; theoricus contemplativus.

NOSOLOGIÆ EPITOMES

PRÆFATIO.

264. Nosologia, et nosographia ferme idem sonant: prima enim a graecis vocibus νόσος morbus, et λόγος sermo derivatur, ideoque de morbis sermonem significat; altera a νόσος morbus, et γραφὴ scriptio, pictura, ideoque morborum descriptionem, picturam denotat. Vulgo tamen nosologia, nec non nosographia significat morborum dispositionem literis traditam, seu morborum generum, et specierum methodicam narrationem.

265. Nos morborum universitatem in quatuordecim ordines digerimus.

I. Monstruosa corporis vitia comprehendet.
II. Deformitates.
III. Solutiones.
IV. Adhaesiones.
V. Laxitates.
VI. Demotiones.
VII. Retentiones.
VIII. Fluxus.
IX. Viventia intus, et in cute homini infesta.
X. Inflammationes.
XI. Febres.
XII. Efflorescentias.
XIII. Neuroses.
XIV. Cachexias.

266. Ne cuipiam fortasse, et praesertim Chirurgiae minus propitio nos in alienam messem manus injicere videamur, dum Chirurgiae tyrones in primis universorum omnium morborum rudimentis instituimus, nobis hic liceat istiusmodi institutionum necessitatem, nedum utilitatem demonstrare.

267. Primitus consuetudine, exinde lege constitutum est, ut Chirurgus morbis externis, Medicus internis medeatur. Verum ex Celsi apertissimo effato, nec non ex sapientum communi sententia manifestissima res est, externos, internosque morbos ita connexos esse, ideoque chirurgiam, ac medicinam ita etiam esse conjunctas, ut ex toto separari non possint. Ex quo nuperrimus magni nominis auctor (1) affirmare audet, morbos dividere in externos, atque internos, idem esse, ac eos distinguere in dexteros, atque sinistros, quae postrema morborum distinctio certe nullius esset momenti.

268. Enimvero complures morbi prima fronte ad chirurgiam spectare videntur tamquam externi, ad medicinam tamen pertinent ceu idiopathici interni; alteri invicem licet interni manus tamen operam praesertim exposcunt, et ideo in jus chirurgiae

---

(1) Nosographie chirurgicale etc. par M. le Chevalier Richerand etc., quatr. édit. Paris 1815 tom. I, §. 111. Principes généraux de pathologie, pag. LXXIII.

concedunt. Complures insuper interni, si idiopathici ad medicinam attinent, si symptomatici cujusdam externae laesionis ad chirurgiam. Morbis demum externis, seu potius ad chirurgiam pertinentibus complures alii supervenire possunt tamquam *epigenomeni*, quorum curatio sit medicae ditionis, et quos si chirurgus, qui primi morbi curationi jam dat operam, ignoraret, se decipere posset, et aegro non parum noceret medicum opportune non convocando.

269. Ex dictis liquido patet, morbos internos, externosque sic vocatos, aeque ac medicinam, et chirurgiam ex toto separari non posse; liquido etiam patet ad chirurgiam rite exercendam morbos vel potissimum ad medicum pertinentes chirurgo et dignoscendos esse, tum ut hic a nonnullis extrinsecus apparentibus morbis manum abstinere sciat, tum ut infirmo universae constitutionis statui, et quibusdam externarum laesionum symptomatibus apposite medeatur, dum idiopathicae istiusmodi laesionis curationi ipse vacat, tum ut in chirurgia facienda, advenientibus quibusdam morbis medicae ditionis, opportune medicum convocare sit sollicitus.

Ecquisnam igitur vel vix literis tinctus hac nostra praesertim aetate non percipiet, pernecessarium, nedum utilissimum fore chirurgiae tyrones in primis universae nosologiae notionibus saltem instituere?

I. ORDO.

MONSTRUOSA CORPORIS VITIA.

270. In monstrorum ordinem adsciscimus quaedam congenita corporis vitia, quae extra naturae normam contingunt, et perseverant: haec in partium vel abundantia, vel defectu, vel aberratione, vel quomodocumque aliter mutata naturali conformatione consistunt.

271. Quum vitia ista innumera et externa, et interna esse possint, quumque naturalis externae conformationis, internaeque structurae cognitio, quae nobis est, sufficiat ad illa dignoscenda, si qua in conspectum se se prodant, nos hic nonnulla ex praenuntiatis vitiis magis obvia tantummodo in exemplum subjicimus.

272. Naturalem quandoque numerum excedunt digiti, aliaeque corporis partes; osseae quandoque productiones corniculatae in temporibus prominent; coccygis (1) ossicula in caudae speciem procedunt; clitoris (2) magnitudinem mentulae adipiscitur;

(1) Coccyx a κόκκυξ cuculus avis. Quasi ossiculum exhibens figuram rostri cuculi.

(2) Clitoris κλειτορὶς ex derivatis a κλείω claudo pudendi muliebris caruncula, quae absconditur in superiori vulvae angulo, quaeque dicitur etiam ἐπίδερις.

mammae, nymphae (1) nimium propendunt; non aliter in viris praeputium; in Africanis quibusdam foeminis caro pubis genitales partes ventralis instar protegit; in nonnullis hominibus auriculae praelongae, atque pendentes evadunt; nasus praegrandis, oris labia tumida quandoque sunt, etc.

273. Membra quaedam aliquoties deficiunt, uti brachium, crus alterum altero brevius, aut exilius est; desunt etiam, uti digiti, artus, totae ipsae extremitates, nec non vagina, uterus, rectum intestinum, etc.

274. Devia viscera, et organa, devii etiam naturales hiatus observantur: unum oculum, unam ejus orbitam in media fronte vidit, et perscrutatus est praeceptor jam noster venerandus Penchienati. In adultis hominibus exempli gratia testes in abdomine adhuc reconditi reperiuntur: viri, quibus hoc vitium est, graece cryptorchides (2) dicuntur, latine testicondi; hypospadiaeus (3) dicitur vir, cui

---

(1) Nymphae ab Anatomicis dicuntur prominentes carunculae, quae praesunt ostio urinae, ferme ac poëtarum nymphae praeerant aquis.

(2) Cryptorchis ex graecis vocibus κρυπτὸς reconditus, et ὄρχις testis. Testicondus vero deducitur ex teste, et condo. Quasi testis conditus, aut homo, qui condit testes.

(3) Hypospadiaeus ex graecis vocibus ὑποσπάω, sub-

externus meatus *urinarius* non anterior, sed inferior sub frenulo est; urorrhoeas (1), cui urina effluit ex urethra in perinaeo exesa; homo, cui occlusus est anus, vel meatus urinarius, vel vagina, dicitur atretus (2).

275. Diverse, et multimodis alteratur insuper naturalis conformatio: observamus scilicet superius labium verticaliter fissum, et incruentum, quod vitium vocant Nosologi labrum leporinum, graece lagocheilum (3); genitalia tantoties adeo vitiose conformata sunt, ut sexus uterque una existere videatur: ejusmodi vitia hermaphroditorum fabulis occasionem praebuerunt (4). Qua late patet corporis ambitus, non raro maculas simplices, excrescentes,

---

duco, et αἰδοῖον penis. Quasi homo ducens urinam sub pene.

(1) Urorrhoeas ex graecis vocibus ὖρον urina, et ῥέω fluo. Quia in istis hominibus urina non ejicitur, sed potius fluit.

(2) Atretus ex α privationis particula, quasi non, et voce τρητὸς perforatus. Hinc atretus idem sonat, ac non perforatus.

(3) Labrum leporinum dicitur graece lagocheilum ex λαγὼς lepus, et χεῖλος labium.

(4) Hermaphroditus ex graecis vocibus ἑρμῆς mercurius, et ἀφροδίτη venus. Quia haec fabula a filio Mercurii, et Veneris exorta est.

pilosas, et alicujus notae rei speciem referentes aspicimus, quibus maculis, tuberculisve generatim naevi nomen est.

II. ORDO.

DEFORMITATES.

276. In deformitatum ordinem adscribenda sunt adventitia quaedam vitia, quae totidem corporis dehonestamenta sunt, et naturales hominum formas adimunt; sed vix, aut ne vix quidem sanitati officiunt: istiusmodi vitia vel in mollibus, vel in duris partibus consistunt.

277. Sub mollium partium deformitates venit
Canities, nempe albi capilli;
Albinities, capillorum, et cutis extraordinaria albitudo a puerili aetate ad senescentem;
Rubor capillorum;
Calvities, *alopecia* (1), capillorum defluvium;
Spanopogon (2), barbae raritas, aut defectio;
Hirsuties, pilorum copia, nec non eorum praeter naturam in aliqua parte generatio;

---

(1) Alopecia ἀλωπεκία ab ἀλώπηξ vulpes, quod haec crebro id morbi genus patitur.

(2) Spanopogon ex graecis vocibus σπανὸς rarus, et πώγων barba.

Madarosis (1), ciliorum defectio;

Ptilosis (2), ciliorum defectio cum callosa palpebrarum duritie;

Phalangosis, duplex, vel triplex ciliorum acies (3);

Trichiasis, cilia in oculos obversa (4);

Ectropium, nepitelia extrorsum versa (5);

Entropium, nepitelia introrsum (6);

Lagophthalmus (7), palpebra praesertim superior decurtata, nec oculum perfecte claudens;

Blepharoptosis (8), nimis extensa palpebra, sed superior praesertim, quae quandoque resoluta supra oculum cadit, eumque claudit;

---

(1) Madarosis a μαδαρὸς depilis: hic autem a μαδάω depilem reddo.

(2) Ptilosis a πτίλος, cui cilia periere, calvus ciliorum.

(3) Phalangosis a φάλαγξ phalanx. Ob similitudinem cum phalange dicta est ciliorum copia, atque dispositio.

(4) Trichiasis τριχίασις a θρὶξ τριχὸς pilus.

(5) Ectropium ἐκτρόπιον ab ἐκτρέπω extra verto.

(6) Entropium ἐντρόπιον ab ἐντρέπω intra verto.

(7) Lagophthalmus ex λαγὼς lepus, et ὀφθαλμὸς oculus, quasi leporis oculi, qui tantum subclauduntur in somno.

(8) Blepharoptosis ex βλέφαρον palpebra, et πτῶσις casus, quasi palpebrae casus, procidentia.

Exophthalmia (1), nimia oculi magnitudo, et ideo quasi ex orbita exiens oculus;
Strabismus (2), oculorum distortio permanens, et inaequalis eorum motus;
Rhytidosis (3), cornea depressa, et corrugata in iridem;
Rhicnosis (4), rugosa cutis cum corporis extenuatione, praeter quod ferret aetas;
Ischnotis (5), corporis gracilitas notabilis absque invaletudine;
Polysarcia (6), totum corpus multa pinguedine farctum;
Hyposarcia (7), abdomen ob pinguedinem tumens;

Hisce memoratis vitiis addemus maculas rubras, albas, caeruleas, cicatrices, etc. non ingenitas.

278. Sub durarum deformitates occurrunt
Dentes exerti;
Nefrens, qui caret dentibus, latina vox, quae idem proprie sonat, ac non stridens dentibus, qui

---

(1) Exophthalmia ex ἔξω extra, et ὀφθαλμὸς oculus.
(2) Strabismus a στραβὸς strabo, cui sunt oculi distorti.
(3) Rhytidosis a ῥυτιδόω corrugo.
(4) Rhicnosis a ῥικνὸς rugosus.
(5) Ischnotis ab ἰσχνότης macies.
(6) Polysarcia ex πολὺς multus, et σὰρξ caro.
(7) Hyposarcia ex ὑπὸ sub, et σὰρξ caro.

dentibus caret dicitur etiam edentulus, graece ἀνόδυς (1);

Caput obstipum, scilicet colli incurvatio;

Cyphosis (2), spinae dorsi, omoplatae, aliorumve thoracis ossium abnormis incurvatio;

Lordosis (3), ossium incurvatio, sed fortasse melius ea corporis incurvatio, ob quam homo capite prono terram spectat;

Cholosis (4), claudicatio, videlicet instabilis incessio ob malam pelvis, coxarum, crurum, pedum conformationem;

Saniodes (5), cui thorax tabulae instar est complanatus;

Varus, cui genua introrsum sunt conversa;

Valgus, cui genua extrorsum sunt distorta, hic pedepressim incedit;

Plancus, *plautus*, qui pedum plantam habet planam (6);

---

(1) Ἀνόδυς ex α part. privat., et ὀδὺς dens.

(2) Cyphosis κύφωσις incurvatio.

(3) Lordosis a λορδὸς curvus, cernuus. An a λάειν ἔραν videre terram?

(4) Cholosis χώλωσις claudicatio. Χωλὸς claudus. Ἀμφίχωλος claudus ex ἀμφὶ, nempe ex utraque parte.

(5) Saniodes a σανὶς tabula.

(6) Planci, plauti graece platypodes πλατύποδες

Pansus, cui lati, et pansi sunt pedes;
Scaurus, qui talos pedum tumentes, ac porrectos habet;
Pedes multimodis aliis vitiis obtorti;
Gryphosis (1), unguium aduncitas.

III. ORDO.

SOLUTIONES.

279. In continuarum partium solutione sistunt vulnus, fractura, ulcus, abscessus, gangraena. Hi morbi, ceu genera, suas continent species.

280. Vulnus definitur mollium partium continuitatis solutio uno externo ictu effecta, unde naturales inquilini humores, sed praesertim sanguis, funduntur. Vulnera differunt, prout varia sunt vulnerantia instrumenta, nec non pro varia percussoris actione: ista enim vel pungunt, vel incidunt, vel secant, vel collidunt, vel contundunt, vel lacerant, vel demum aliquid extranei, etiam venenati infun-

---

ex πλατὺς latus, amplus, et πȣ̃ς ποδὸς pes pedis: homines nempe, quibus pedes sunt ampli, lati, pansi.

(1) Gryphosis a γρὺψ, υπὸς gryphus, avis adunco rostro praeditus. Hinc γρυπὸς latine vertitur incurvus, inflexus. Grypus dicitur etiam, qui nasum habet aduncum.

dunt. Differunt praecipue, prout variis partibus infliguntur: siquidem tegumentorum, musculorum, tendinum, aponeurosium, nervorum, vasorum, viscerum, organorum, ossium vulnera aliquid diversi, et quidem magni momenti exhibent.

281. Fractura est ossium continuitatis solutio ob violentam, et subitam vim. Hic monere expedit, vulnus, et fracturam inter se differre dumtaxat ob consuetum dicendi modum: dicuntur enim vulnerari partes molles, frangi durae. Hae tamen ab acuminatis, acutisque instrumentis pungi, incidi, amputari, secari etiam possunt. Multiplices fracturarum distinctiones producuntur a Nosologis: distinguendae quidem sunt peculiarium ossium fracturae, nempe vel parietalis, vel coronalis, vel temporalis ossis, vel claviculae, vel scapulae, vel humeri, vel femoris, vel cubiti, vel radii, vel tibiae, vel peronaei, etc. Quandoque unicum os in uno dumtaxat loco frangitur; quandoque in locis diversis; quandoque plura ossa tum ejusdem, tum diversi artus simul confringuntur. Ossa vero transversim, oblique, abnormi directione, perfecte, imperfecte, et minutatim frangi queunt. Fracta insuper ossa aut in naturali situ remanent, aut de hoc illorum fragmenta sunt demota. Nec parvi momenti est fracturarum discrimen a semotis fragmentis, et a complicatis laesionibus petitum. Ex

mollibus etiam partibus quaedam robustiores a violenta, et subita vi disrumpi potius, quam lacerari dicuntur, uti arteriarum tunicae, aponeuroses, tendines, etc.

282. Ulcus definiri potest lenta tum mollium, tum durarum partium solutio, unde humores scatent purulenti. Ob *locales* characteres ulcera sunt externa vel interna, *superficialia* vel profunda, plana vel cava, angusta vel ampla, detersa vel sordida, fluentia vel sicca. Ulcus altum, angustum dicitur sinus: fistula vero nuncupatur ulcus altum, angustum, et callosum. Ulcus fungosum nominatur, e cujus superficie luxuriant carneae papillae fungorum instar: excrescens autem appellatur, si istiusmodi papillae praeter partis ulceratae planitiem luxuriant. Rhagas (1) lineare ulcus est, sive fissio ulcerosa. Aphthae (2) nuncupantur ulcuscula plerumque oris *superficialia*, nec non aliarum partium mucosa membrana obtectarum. Eschara (3) est cutis portio a vita desciscens, et in siccum corium mu-

(1) Rhagas ῥαγὰς fissura, ruptura.

(2) Aphthae ἄφθαι ulcera sunt quadam caliditate praedita, etc. Vox fortasse derivatur a verbo ἅπτω accendo.

(3) Ἐσχάρα proprie significat focum, aram; denotat etiam crustam ab ardente ferro, aut medicamento caustico inductam, aliamve similem.

tata. Crusta est purulentae materiei coagulum siccum, et deciduum, quod persaepe ulcerosam superficiem integit. Ossium ulcus dicitur caries. Ob cachexias, cacochymias, quibus progignuntur, aut aluntur ulcera, alia sunt syphilitica, alia scorbutica, alia scrofulosa, alia herpetica, alia cancerosa, etc. Exustiones lubentius ad ulcerum, quam ad vulnerum genus referimus, utpote quae nec sanguinem, nec alios naturales humores illico effundunt, sed mox purulentos.

283. Purulenti humores ulceribus effluentes sunt pus, sanies, ichor (1), melicera (2). Pus est crassissimum, albidissimum, sanguine, et sanie glutinosius. Puris species elaiodes (3) est tenue, subalbidum, quasi unguinosum colore, atque pinguitudine, et oleo albo non dissimile. Sanies tenuior sanguine, varie crassa, et glutinosa; et colorata. Ichor tenuis, subalbidus. Melicera crassior, glutinosior, et subalbida, mellique albo subsimilis (4).

284. Istos inter humores pus optimum est, sed id quoque pejus, si tenue, dilutum, colore sero

---

(1) Ichor ἰχὼρ, quasi sanies fluidior. Eustat. scribit, antiquos derivare ἰχὼρ ab ἴσχω scatere facio.

(2) Melicera ex μέλι mel, et κηρὸς cera.

(3) Elaiodes ἐλαιώδης oleaginus.

(4) Cels. de Medicina lib. V, cap. XXVI, art. 20.

simile, pallidum, lividum, faeculentum sit. Elaiodes etiam pejus, si parum pingue. Sanies mala est nimis tenuis, livida, aut pallida, aut nigra, aut glutinosa, aut mali odoris, aut erodens. Ichor pejor est crassus, sublividus, aut subpallidus, glutinosus, ater, calidus, et mali odoris. Melicera autem mala est percrassa.

285. Istiusmodi humorum, sed puris praesertim confectio per vitales vires dicitur suppuratio, quae vox sumitur etiam pro ipso abscessu, vel apostemate, nec non pro materiebus sive ex ulcere, sive ex abscessu fluentibus.

286. Mucus quandoque puriformem speciem nanciscitur, sed in morborum medela summi momenti est puriformem mucum a vero pure dignoscere, utriusque ideo notas referre necessarium duximus. Pus specificam gravitatem possidet majorem puriformi muco: illud aqua dilutum hanc aequabiliter turbat, et cito fundum petit. Mucus aegre aqua diluitur, et filamenta producit, quae in illa diu manent suspensa; mucus facilius, quam pus in acido sulphurico dissolvitur, et si hujus materiei solutio aqua diluatur, pus petit fundum vasis, mucus vero suspensa filamenta efficit. Pus demum in alkali caustico solutum ab aqua simplici affusa praecipitatur; non autem mucus.

287. Abscessus, graece apostema (1), est purulentae materiae collectio. Hinc quippe reconditum ulcus jure considerari potest, et reapse apertus abscessus fit ulcus. Abscessum apprime distinguimus in verum, et spurium: ille purulentas materies continet; hic humores a purulentae materiei ingenio recedentes: proinde spurii abscessus sunt vel sanguinolenti, vel *lymphatici*, vel lactei, vel *urinosi*, vel biliosi, vel stercorosi, vel putridi. Interni pectoris abscessus dicitur vomica, empyema (2). Generali empyematis nomine nostra aetate Pathologi quodam quasi consensu intelligunt fluidae cujuscumque materiei collectionem in pectoris cavo: empyema proinde purulentum, sanguineum, serosum, aëreum agnoscimus.

288. Ad definiendum denique discrimen inter gangraenam (3), et sphacelum (4) nobis videtur

---

(1) Ἀπόστημα dictum est a verbo ἀφιστάω separo, disjungo. Itemque latina vox abscessus separationem, disjunctionem sonat.

(2) Empyema ἐμπύημα ex ἐν in, intra, et πύον pus, interna puris collectio.

(3) Gangraena, graece γάγγραινα, dicta est a verbo γραίνω depascor, quasi sinceras partes avide depascatur.

(4) Sphacelus σφάκελος gravior alicujus partis *morti-*

gangraenae nomine intelligi posse incipiens mors cujusdam dumtaxat partis, in qua corruptio non adhuc appareat; sed carnes frigidae, flavescentes, pallidae, lividae, fereque aeruginosae sine sensu, cum ichorosis hydatidibus, et phlyctenis cadaverosam corruptionem proxime futuram praenuntient. Sphacelus vero tunc dici posse nobis videtur, cum ob prorsus extinctam partis vitam jam adest corruptio cadaverosa. Gangraena quandoque ita contingit in partibus, ut hae sensim vita orbatae, deficiente humorum affluxu, exsiccentur; haec idcirco gangraena sicca vocatur, uti putrescens altera dicitur humida. Absoluta cujusvis partis mors vocatur etiam necrosis, graece νέκρωσις (1).

IV. ORDO.

ADHÆSIONES.

289. Tamquam adhaesiones habemus 1.° naturalium hiatuum, ductuum, et cavorum viscerum

---

ficatio: adeo ut major sit partium destructio in sphacelo, quam in gangraena.

(1) Circa gravissimam gangraenae speciem consulite elaboratissimum opus Alexandri Riberi Medicinae, et Chirurgiae Doctoris, etc.: *sulla Cancrena nosocomiale ec. Torino* 1820.

sive obstructionem, sive constrictionem, sive occlusionem; 2.° vicinarum partium conjunctionem; 3.° singularum concretionem.

290. Primi generis species censentur aures, nares, pupillae, puncta lacrymalia, et continui canaliculi lacrymales, os, pharynx (1), oesophagus (2), larynx (3), trachea (4), bronchia (5), urethra (6), hujusce ostium, praeputium (7), rectum intestinum, podex, vulva, vagina, uterus, nec non caetera cava viscera, et caeteri interni ductus, hiatusque sive obstructa, sive constricta, sive occlusa. Ab hisce sic vitiatis partibus ipsarum actiones, et functiones laeduntur, quod satis physiologia nos

---

(1) Pharynx φάρυγξ guttur, fauces.

(2) Oesophagus οἰσοφάγος ex οἴω, οἴσω fero, et φάγω comedo. Quasi canalis, qui fert comesa.

(3) Larynx λάρυγξ clamoris organum.

(4) Trachea τραχεῖα a τραχὺς asper, veluti canalis vere asper. Revera a veteribus dicebatur aspera arteria.

(5) Bronchia a βρόγχια cavitates pulmonum. Unde bronchia dicta sunt canaliculi, qui in pulmonum cavitates immittuntur.

(6) Urethra οὐρήθρα, vox detorta ab οὖρον urina, est canalis, qui urinam ex vesica effert.

(7) Praeputium ab antiquo verbo latino praeputo pro praeamputo: ex eo, quod illa colis pars praeputabatur, videlicet praescindebatur.

docet, et morbi peculiaribus nominibus designati exoriuntur.

291. Pupilla angusta dicitur myosis a graeco verbo μύω claudo; pupilla perfecte occlusa dicitur synizesis a voce graeca συνίζω coalesco. Si praeputium ita constringatur, ut ab isto contecta glans nudari amplius non possit, hoc vitium phimosim (1) appellant Nosologi; si praeputium e contrario ita constringatur retro nudatam glandem, ut haec amplius ab illo contegi non possit, hoc alterum vitium paraphimosim dicunt.

292. Secundi generis species dinumerantur iris (2) cum cornea oculi membrana, et uvea cum crystalloide coalescentes, quod vitium synechia (3) dicitur, et visionem perquam laedit; palpebrae sive inter se, sive oculo coalitae, adeo ut aperiri nequeant, quod vitium Graeci vocant anchyloblepha-

---

( ) Phimosis derivatur a graeca voce φιμὸς camus, fiscella, capistrum. Hinc graecum verbum φιμόω os obturo capistro. Revera ita constrictum praeputium, phimosis scilicet os glandis obturat fiscellae, sive oreae instar. Paraphimosis derivatur a φίμωσις, et παρὰ praeter.

(2) Iris ἶρις arcus coelestis. Sic etiam ob similitudinem dicitur circulus ille in oculo, qui circa pupillam est: ambae enim hae irides versicolores sunt.

(3) Synechia a συνέχω constringo derivari potest.

ron (1); lingua subjectis partibus conglutinata, graece anchyloglossum (2), ex quo vitio loquela, suctus, deglutitio non parum praepeditur; articuli quovis modo agglutinati, eorumque motus impediti, quem morbum anchylosim (3) Graeci nominant; gingivae cum labiis, et genis, digiti inter se, aliaeque partes cum vicinis conjunctae.

293. Tertii generis species recensentur partes intra naturae leges, et fines pellucidae, opacitate affectae, uti quaelibet macula lucidarum membranarum oculi. Peculiari *leucomatis* (4) nomine designatur cornea membrana, si tota fiat opaca, atque albescens. Lens crystallina, hujusque capsula in opacam mutata suffusio, seu cataracta dicitur, graece ὑπόχυσις (5). Opacus vitreus, nec non

---

(1) Anchyloblepharon ἀγκυλοβλέφαρον derivatur ab ἀγκύλη amentum, quasi impedimentum, et βλέφαρον palpebra. Consul. Schrevelii lexicon.

(2) Anchyloglossum ἀγκύλόγλωσσον ex ἀγκύλη impedimentum, et γλῶσσα lingua.

(3) Anchylosis ἀγκύλωσις ab ἀγκύλαι sic dicti a Graecis, qui articulos habent contractos, uti eruitur ex Cels. lib. V, cap. 18.

(4) Leucoma a graeca voce λευκὸς albus.

(5) Ὑπόχυσις ex ὑπὸ subter, et χέω fundo prorsus idem sonat, ac suffusio: ita enim Graeci, atque Latini

ejus capsula, quod vitium glaucoma, sive glaucosim (1) nominant Nosologi. Hi morbi imperfectam, vel perfectam caecitatem producunt. Concretionis species est callus, nimirum cuticulae praesertim, cutis, cellulosi textus, aliarumque partium albida durities. Complures aliae nostri corporis partes concrescere, densarique possunt; sed quum ab ipsis peculiares morbi non progignantur, eas enumerare praetermittimus.

V. ORDO.

LAXITATES.

294. Inter morborum genera a laxitate provenientia habemus 1.° praeternaturales hiatus, nec non naturales dilatatos; 2.° canalium lumen ampliatum; 3.° cavorum viscerum capacitatem adauctam.

295. In primi generis recensione reperimus, quae

---

hunc morbum nominaverunt, quia credebant illum effici ab humoribus fusis subter oculi membranas.

(1) Glaucoma, ex glauco colore dictum, apposite a Pathologis usurpatur, quia laborans illiusmodi vitio oculus apparet glaucus: hic autem a γλαυκὸς caesius, et quidem a Graecis dicitur γλαυκῶπις, qui naturaliter caesios gerit oculos. Quod passim dictum de Minerva apud Homerum reperimus.

sequuntur, species, videlicet aponeuroticam (1) abdominis loricam aliquibus in locis sensim disjunctam, ut praeter naturam hiatus efficiantur, sicuti ad umbilicum, et ad annulos abdominales; pupillam dilatatam, mydriasim (2) dictam; dilatatum umbilicum, abdominales annulos, subcrurale spatium, podicem, aliosque naturales hiatus, aut intervalla item dilatata. In secundi generis recensione habemus ampliatum aortae sinum, nec non dilatatas alias arterias, quas vera aneurysmata vocant Pathologi. Habemus etiam dilatatas venas sanguineas, aliosque canales, praeputium, quod quandoque ita laxatur, ut glandem non amplius contegere valeat. In tertii generis recensione praesertim habemus adauctas cordis, ventriculi, intestinorum, vesicae capacitates; huc etiam referri potest acuminata quaedam corneae prominentia ab Equite Scarpa observata (3).

---

(1) Aponeuroticus adjectivus ab aponeurosi derivatur: aponeurosis autem componitur ex ἀπὸ a, ex, de, et νεῦρον nervus, nempe membrana, quae oritur a nervo quodam secundum veterum nomen, nunc a tendine, proinde membrana nervosa, tendinea.

(2) Μυδρίασις nomen Schrevelius ducit a μυδᾶν, nimio humore vitiari, nempe dilatari.

(3) Consul. annotazione 40 *del Trattato delle principali malattie degli occhi*: ediz. V, vol. II, pag. 137. Pavia 1816.

VI. ORDO.

DEMOTIONES.

296. In demotionum ordine collocamus hernias, procidentias, deviationes, luxationes, ceu morbos a solidarum partium mutata naturali sede subortos.

Herniae.

297. Hernia, graece κήλη, definiri potest alicujus visceris persaepe propriis, semperque communibus velamentis obtecti transitio a propria cavitate ad alienum situm, ubi manens demotum viscus tumorem efficit (1).

Viscera abdominis frequenter; thoracis, et capitis raro in herniam prodeunt. Proprium egressi visceris tegmen, uti peritonaeum (2), pleura (3), meninx (4), dicitur herniae *saccus*.

---

(1) Circa hernias consul. prae caeteris SCARPA: *sulle ernie Memorie anatomico-chirurgiche*: ediz. 2, Pavia 1819. Itemque LAWRANCE: *Traité des hernies* traduit de l'anglais sur la troisième édit. par P. A. BÉCLARD et J. G. CLOQUET. Paris 1818.

(2) Peritonaeum a περὶ circum, et τείνω tendo, videlicet membrana circumtensa.

(3) Pleura a πλευρὰ costa, unde membrana costis supposita.

(4) Meninx μήνιγξ membrana, maxime quae cerebrum

Capitis hernia dicitur encephalocele (1) : haec est tumor formatus a cerebro , vel cerebello extra ossium cranii hiatum egresso.

Thoracis herniam aut vix, aut ne vix quidem efficiunt ibi contenta viscera, si pulmones (2) excipiamus, qui, et raro quidem, per non naturales hiatus transgressi prominere in variis thoracis regionibus possunt.

Abdominis herniae creberrimae occurrunt. Has complura imi ventris viscera sive separatim, sive conjunctim, et in diversis abdominis regionibus constituere queunt.

298. Qua late patet imi ventris provincia hernias contingere, nos docent observationes. Quae per non naturales hiatus eveniunt, *ventrales* herniae generatim appellantur; quae per naturalia ostia, speciali nomine insigniri solent.

299. *Ventrales* herniae contingunt quotiescumque abdominalium musculorum fibrae sive carneae, sive aponeuroticae a se invicem diductae aut ob vulnera,

---

ambit, quam vocem Schrevelius deducit a μένος animi ardor, robur: quia cerebrum roborat, et munit.

(1) Encephalocele ex ἐγκέφαλος cerebrum, et κήλη hernia.

(2) Pulmo πνεύμων a verbo πνέω spiro, spiritum attraho, atque emitto, videlicet respiro.

aut ob quamcumque aliam caussam efficiunt non naturalem hiatum, in quem delapsa viscera superpositas molles partes laxant sacci instar. Hisce herniis viam saepenumero praebent circumferentiae naturalium ostiorum, nempe umbilici, annulorum abdominalium, et arcuum cruralium; linea alba in umbilici praesertim viciniis; latera cartilaginis ensiformis; linea semilunaris aponeurotica abdominalium musculorum; regio epigastrica (1), hypogastrica (2), iliaca mollis; vagina musculorum rectorum abdominis; lumbi carnosi; perinaeum (3); omne denique abdominis punctum, quod osseo careat praepedimento, praesertim post coalita *abdominalis* parietis vulnera. Quin immo totam ferme anticam abdominis partem in perae formam dilatari, et herniosi tumoris speciem referre, observatione constat, quae herniae species *eventratio* appellatur a Nosologis.

300. Quid plura? Ipsa vagina, uterus, vesica *urinaria* sive prolapsae, sive inversae idoneum aliis visceribus excipiendis cavum parare valent.

---

(1) Epigastrica ex ἐπὶ supra } et γαστὴρ venter.
(2) Hypogastrica ex ὑπὸ sub }

(3) Perinaeum περίναιον ex περὶ circa, et νάω, vel ναίω fluo, scaturio, quasi regio, circa quam de alvo fluunt sordes, et scaturiunt urinae.

Viscera autem *abdominalia* per naturales, aut per non naturales diaphragmatis (1) hiatus in pectoris cavum aliquoties transgrediuntur; pectoralia vicissim in abdomen: herniae istae, et aliae quaecumque extrinsecus non prominentes dicuntur internae. Intestinorum portiones insuper se se possunt introduci: has tubi intestinalis demotiones Nosologi appellant *introsusceptiones*.

301. Quae per naturalia abdominis ostia contingunt, herniae nomen obtinent a situ, et viscere. Bubonocele (2) ideo, seu inguinalis hernia dicitur, quae per musculi obliqui externi annulum fit. Haec si in scrotum protenditur, vocatur scrotalis, aut oscheocele (3); eadem si magnum vulvae labium distendit in scroti formam, dicitur *vulvaris*.

302. Tres bubonoceles species gnaviter sunt animadvertendae, scilicet externa, interna, et congenita. Externa est, in qua viscus ab iliaca regione ad annulum obliquo itinere protruditur: haec bu-

---

(1) Diaphragma ex διὰ inter, et φράγμα septum; διὰ vero in verborum compositione plerumque denotat separationem. Hinc diaphragma proprie significat septum separans viscera pectoris a visceribus abdominis. Latini revera nominant diaphragma septum transversum.

(2) Bubonocele ex βουβὼν inguen, et κήλη hernia.

(3) Oscheocele ex ὄσχεον scrotum, et κήλη hernia.

bonocele plerumque habet pone sacci collum, et in pubis regionem conversum funiculum spermaticum, nec non arteriam epigastricam. Interna est, in qua viscus aponeuroticam abdominis loricam effringens contra obliqui externi musculi annulum, extra hunc directo tramite erumpit: haec autem ad sacci latus erga ilium persaepe habet funiculum spermaticum, et arteriam epigastricam. Congenita est, in qua viscus, hiante adhuc testis vagina, in hanc delabitur, ita ut illud absque solito peritonaei sacco proxime contingat et vaginalem, et albugineam testis tunicam, quin spermatici funiculi, et epigastricae arteriae positio valde immutetur.

303. Merocele (1), hernia cruralis, vel femoralis, vel bubonocele externa etiam dicta a quibusdam Pathologis ea est, quae subter cruralem arcum delabitur. Haec in foeminis solemnior contingit.

304. Omphalocele (2), exomphalos, sive hernia umbilicalis illa proprie nominatur, quae hiante umbilico erumpit. Istam frequentissime infantes, et adulti, ascitici, atque mulieres pluries effoetae patiuntur.

305. *Ovalaris* hernia nuncupatur, quae fit per ovatum ossium pelvis foramen, et prominet inter femoris musculos pectineum, et adductorem.

---

(1) Merocele ex μηρὸς coxa, et κήλη hernia.

(2) Omphalocele ex ὀμφαλὸς umbilicus, et κήλη hernia.

306. Ischiatica hernia vocatur, quae per hujusce nominis arcuatam scissuram (1) delabitur vel sub magno gluteo (2) musculo, vel ad ani latus.

307. Herniae, ut innuimus, a dimoto viscere nomen quoque petunt, ita ut enterocele dicatur hernia intestini, epiplocele omenti, gastrocele ventriculi, splenocele lienis, hepatocele jecinoris, hysterocele uteri, cystocele vesicae (3). Herniarum nomina componuntur etiam ex visceris, et situs nominibus, ut herniam puta intestini, et omenti per umbilicum simul delapsorum dixeris uno composito nomine entero-epiplo-omphalocelem, et ita de reliquis.

Procidentiae.

308. Procidentiae nomine intelligimus alicujus partis, sed visceris praesertim nullis tegumentis operti exitum. Hinc patet qua ratione ab hernia procidentia differat. Procidentiae itaque vel per non naturales apertiones, vel per naturalia ostia

---

(1) Scissura ischiatica dicta est ab ἰσχίον coxa.

(2) Musculi glutei dicti sunt a γλουτοὶ nates.

(3) Ista nomina conflantur ex ἔντερον intestinum; ἐπίπλοον omentum; γαστρίδιον ventriculus; σπλὴν lien, splen; ἧπαρ jecur, hepar; ὑστέρα uterus; κύστις, vel κύστη vesica; et ex κήλη hernia.

contingunt; revera a fisso cranio cerebrum, nec non cerebellum aliquando procidunt; e fissa sclerotica (1) oculi membrana procidit choroidea (2); e fissa cornea procidit iris; ex discisso thorace pulmones; ex penetrantibus abdominis vulneribus viscera abdominalia, uti hepar, lien, ventriculus, omentum, intestina etc.; ex praeternaturali ano pertusi intestini parietes interiores etiam procidunt; ex ore habemus procidentiam linguae, *paraglossem*; ex ano procidentiam intestini recti, *exaniam*; ex vulva procidentiam uteri, *hysteroptosim*, procidentiam vaginae, *elytroptosim*, procidentiam vesicae, *cystoptosim* (3).

---

(1) Sclerotica a σκληρὸς durus. Re enim vera haec membrana est admodum dura.

(2) Choroidea χοροιδὲς a κόριον chorion, et εἶδος forma, videlicet membrana exhibens formam chorii. Chorion est membrana, quae foetum circumvolvit, et protegit; choroidea oculi est membrana, quae hunc etiam circumvolvit, et protegit. Eademque ratione vocatur choroidea cerebri.

(3) *Paraglossem* derivamus a graeca praepositione παρὰ, quae in verborum compositione valet trans, praeter, et γλῶσσα lingua, quasi diceremus linguam praeter os delabentem. *Exania* a latinis vocibus ex, et anus, videlicet procidentia ex ano. *Hysteroptosis*, *elytroptosis*, et *cystoptosis* nomina sunt composita ab ὑστέρα uterus, ἔλυτρον involucrum, theca, vagina, κύστις vesica, et a πτῶσις casus, procidentia.

Deviationes.

309. Praeter congenitas insignes deviationes quae ad monstra pertinent, et alia, quae jam in deformitatum ordine exposuimus, hic recensemus uterum, et musculos a naturali situ recedentes ob adventitias caussas. Si uterus a naturali situ aliquantulum dimoveatur, nec foras promineat, nec intra se ipsum invertatur, hoc vitium dicitur *hysteroloxia* (1). Uterus itaque vel antrorsum, vel retrorsum, vel inferius, vel ad latera inclinari potest. Musculos varios, et praecipue longioribus fibris praeditos, et nulla vaginae specie inclusos, aeque ac tendines et quidem longiores, et minus armillatos, aut aliter parum contentos dimoveri sua sede, observationes comprobant. Quod mali in humero, manu, dorso, lumbis, femore, sura, pede sat frequenter accidit. Linguae apex quandoque in fauces se recipit, quae deviatio dicitur *glossocoma* (2).

Luxationes.

310. Luxatio est alicujus ossis a mobili sua articulatione demotio. Multiplices luxationum varietates considerandae occurrunt. Quot sunt mobiliter articulata ossa, tot sunt luxationum species; maxilla

(1) Hysteroloxia ex ὑστέρα uterus, et λοξὸς obliquus.
(2) Glossocoma ex γλῶσσα, et κομέω me recipio.

enim inferior, vertebrae, humerus, femur, aliaque mobilia ossa singillatim luxari queunt, et ita singula luxata ossa constituunt totidem luxationum species.

311. Quaeque ex istis luxationibus species vel completa, vel incompleta, vel momentanea est: completa luxatio dicitur, quando os superficiem, aut cavum articulare plane, et omnino deseruit, haec frequentior contingit in mobilioribus articulationibus; incompleta dicitur, quando aliqua articulationis parte luxatum os adhuc insistit, haec in ginglymoideis (1) articulis frequentior evenire solet; momentanea luxatio sive distortio dicitur, quando os quidem sua sede depulsum illico remittitur, ita ut in hac non nisi consequentia symptomata sint pertimescenda.

312. Prout diversum locum dimotae ossium extremitates occupant, luxatio dicitur superior vel inferior, anterior vel posterior; quoad originem spectant luxationes, eas etiam distinguunt Nosologi in recentes, aut vetustas, in subitaneas, aut lentas. Subluxationem nonnulli admittunt, istamque consistere volunt in osse quidem aliquantulum dimoto, quin tamen certa luxationis phaenomena extent,

---

(1) Ginglymoideus a γιγγλυμὸς cardo portae, et εἶδος forma, videlicet articuli, qui habent formam cardinis portae.

adeo ut aliquid minoris momenti, quam luxatio incompleta, subluxatio sit.

313. Diastasis, graeca vox, quae latine vertitur distantia, in pathologia suscipitur praesertim ad ossium vel immobili, vel parum mobili articulatione conjunctorum amotionem significandam. In hoc reapse a luxatione diastasis differt, quod in illa os alterum ab altero dumtaxat removetur; in hac conjuncta ossa a se invicem recedunt, et distant. Huc referuntur ossa cranii, faciei, ulnae, manus, pelvis, cruris, pedis a se invicem distracta.

VII. ORDO.

RETENTIONES.

314. In retentionum ordine non omnes ponimus morbos a rebus intra naturae leges haud excretis promanantes, uti a praepedito exitu foetus, lacrymarum, muci, lotii, faecum, perspirandae materiei, *gaz*, catameniorum, spermatis; sed peculiares tantum organicos morbos tum ab hisce detentis, tum a sanguinis, lymphaeque circuitione quodammodo perturbata, vel intermissa productos indicabimus: siquidem de damnose retentis sat pro nostro munere dictum est in hygienes capite IV.

315. Naturalis exitus foetus vel ad tempus prae-

pediri, vel nullo modo, nec tempore effici quandoque potest. Primi generis partum Nosologi difficilem, et laboriosum dicunt; secundi generis impossibilem. Ista nos fuse docent obstetriciorum disciplinae, atque exercitationes.

316. Lacrymae semper muco, saepe pure commixtae aliquoties detinentur in canale, et sacco nasali, qui in cantho oculi interno ad palpebrarum commissuram earum plenus prominet. Hic morbus dicitur hydrops, vel hernia sacci lacrymalis, et fistula lacrymalis, si externum ulcus agit.

317. Aurium mucus, videlicet cerumen, aliquando nimis concretum, accumulatum, et detentum surditatem producere valet. Narium vero mucus pariter concretus, accumulatus, atque detentus respirationi obesse potest.

318. Perfecta urinae retentio dicitur ischuria (1); imperfecta stranguria (2); imperfecta vero urinae retentio ardore, et dolore comitata dysuria vocatur (3). Pro varia sede, in qua accumulatur urina,

---

(1) Ischuria ex verbo ἴσχω côntineo, et οὖρον urina.

(2) Stranguria ex στρὰγξ στραγγὸς gutta, guttae, et οὖρον urina. Urina guttatim fluens, urinae stillicidium.

(3) Dysuria ex δὺς aegre, male, et οὖρον urina. Difficilis, et dolens mictio.

hujusce retentio distinguitur in renalem, uretericam (1), et vesicalem.

319. Faecum retentio a Nosologis dicitur alvi *obstipatio*, *constipatio*, a latinis alvus adstricta. Mala ab illis retentis provenientia sat comperta sunt, nempe tormina primum, colicae, aliaque. Solos imo flatus continere non vacat periculo tum ob vaporum naturam, tum ob eorum quantitatem, qui vapores aliquoties totum abdomen adeo vexant, atque distendunt, ut viscerum, et pectoris, et ventris functiones graviter laedantur, et gravissima consequantur mala. Hi flatus, quando crepitantes e ventriculo per os ejiciuntur, ructus nominantur; quando ex imo ventre per podicem, pedita; quando ejici nequeunt, et huc illuc per intestina excurrunt, impetunt, et quoddam edunt internum murmur, id mali Nosologi vocant borborygmum sic dictum a verbo βορβορύζω strepo, strepitum edo. Quod proprie dicitur de intestinis.

320. Catamenia difficilia dicuntur dysmenorrhoea ex δὺς aegre, et μηνόῤῥοια menorrhoea, idest menstrua sanguinis fluxio (2); prorsus suppressa catamenia

---

(1) Uretericus ab οὐρητὴρ canalis, qui urinam a rene in vesicam defert: οὐρητὴρ vox est etiam detorta ab οὖρον urina.

(2) Consul. §§. 87. 376.

vocantur amenorrhoea ex α particula privativa, et μηνόῤῥοια. Quando defluentia suo tempore catamenia detinentur in utero virgineo, si hunc prorsus hymen obsepiat, ibi adeo accumulantur, ut gravissima suscitentur pathemata, et multum extra vulvam hymen ipse promineat, nec non valde tumidum fiat abdomen.

321. Difficilis spermatis emissio dicitur dyspermatismus (1), cujus species dinumeramus.

1.° Dyspermatismus a morbis urethram obstruentibus, aut constringentibus;

2.° A nodis corporum cavernosorum;

3.° Ab angustiore praeputii ostio;

4.° Hypertonicus (2) a validiore penis erectione;

5.° Hypotonicus (3) a genitalium ignavia;

6.° Epilepticus ab epilepsia in coitu adveniente.

322. Calculosae concretiones, quae saepius in viis *urinariis*, nec non alicubi occurrunt, jure in hoc ordine sunt collocandae. Calculi igitur *urinarii* in renum substantia, calycibus, et pelvi inveniuntur; quandoque in ureteribus, saepius in vesica, nec non in urethra, et sub ipso etiam prae-

---

(1) Dyspermatismus ex δὺς aegre, male, et σπέρμα semen.

(2) Hypertonicus ex ὑπὲρ super } et τόνος tensio.
(3) Hypotonicus ex ὑπὸ subter }

putio puerulorum praecipue, qui naturali phimosi laborant. *Urinarios* calculos ex quatuor fundamentis, ammoniaca nempe, calce, magnesia, silice, et ex tribus acidis, videlicet urico (1), phosphorico (2), oxalico (3), nec non ex humoribus animalibus generatim componi nostri aevi Chemia analysis ope (4) aperuit. Peculiare vero principium, oxidum cysticum (5) ab inventore dictum, in quibusdam calculis *urinariis* Wollaston invenit. Calculorum color, pondus, magnitudo sunt varia; forma plerumque ad ovatam accedit. Calculos praeterea repertos fuisse in glandula pineali, in lacrymarum viis, in glandulis salivariis, in pulmonibus, in pancreate (6), in intestinis, in hepate, et in bilis ductibus, atque cystide,

---

(1) Uricus ab οὖρον urina. Unde uricus idem sonat, ac *urinosus*.

(2) Phosphoricus a phosphoro, nota substantia a φῶς lux, et φέρω fero dicta, quia lucem fert, edit.

(3) Oxalicus a latina voce oxali, italice *erba acetosa*, quae a Graecis ὀξαλὶς etiam nominatur.

(4) Analysis ἀνάλυσις, resolutio a verbo ἀναλύω resolvo. E contrario synthesis σύνθεσις, compositio a verbo συντίθημι compono.

(5) Cysticus a κύστις vesica, unde *vesicalis*.

(6) Pancreas ex πᾶς totum, et κρέας caro. Viscus totum carnosum.

in prostata (1), in vesiculis seminalibus, in artubus hominum praesertim, qui podagrae doloribus cruciantur, memoriae proditum est. Calculosae concretiones prae volumine praesertim, et asperitate partes, quibus insident, laedunt, et vexant, earumque functiones tantopere perturbant, totique corporis constitutioni vel graviter officiunt.

323. Huc etiam non inepte adjungi possunt tumores frigidi sic a Pathologis dicti ex eo, quod non ab adaucto calore animali comitantur; siquidem a retenta quodammodo materia lente utplurimum progignuntur. Istiusmodi tumores, ne a Pathologorum more recedamus, dividimus in sanguineos, *lymphaticos*, et organicos. Primi dicuntur ii, quorum sanguis est materialis caussa; secundi, quorum lympha; tertii, quorum excreta organica substantia. De hisce singillatim nunc pauca dicemus.

Sanguinei tumores.

324. Ad tumores sanguineos referemus ecchymoma, varicem, haematocelem, cirsocelem, haemorrhoidem, aneurysma, abscessum sanguineum, fungum haematodem.

---

(1) Prostata a verbo prostare composito ex *pro*, et *stare*. Quasi glandula ante stans, vel prominens.

325. Ecchymoma, vel ecchymosis (1) a Latinis sugillatio est tumor diffusus, vix eminens, livescens, ab effluente per textum cellulosum, et cutem venoso praesertim sanguine, nec non aliis humoribus productus.

326. Varix est tumor inaequalis, nodosus, doloris vacuus, mollis, prognatus a praepedito transitu sanguinis per venam, qui idcirco inter ejus valvulas accumulatus ejus etiam parietes distendit, et dilatat. Presso varicoso tumore, sanguis plerumque recedit, iterumque redit, sublata pressione, adeo ut venae sic multinodes fiant. Quandoque varicosarum venarum racemi tumores efficiunt peculiares tum congenitos, tum adventitios non difficile discernendos; venarum enim nodosi racemi aperte declarant, sanguinem hujusmodi tumorum in propriis venis adhuc esse contentum.

327. Haematocele (2) est uniformis, et sat extensus scroti tumor a transfuso sanguine subortus.

328. Cirsocele, vox derivata a κιρσὸς varix, et κήλη hernia, dicitur funiculus spermaticus tumens, atque nodosus ob varicosas ejus venulas. Varicosum

---

(1) Ecchymosis ab ἐξ ex, extra, et χυμὸς humor, ut significet humorum effusionem.

(2) Haematocele ex ἅιμα ἅιματος sanguis sanguinis, et κήλη hernia.

etiam fieri ductum deferentem, nec non canaliculos seminiferos epididymi, ipsiusque testis, nonnulli tradunt Nosologi, quae vascula, si a detento spermate impleantur, atque distendantur, adeo ut testis, epididymus (1), atque spermaticus ductus tumeant, spermatocelem efficiunt, nempe herniam spermaticam.

329. Haemorrhoides generatim dicitur tumor a varicosis haemorrhoidalibus venis prognatus. Disputant nuperi Pathologi, an haemorrhoidales tumores vere proveniant a varicosis istis venis, an ab inflammata interna recti intestini membrana, an ab asthenico quocumque alio sanguineo farctu hujusce membranae. Lis facili negotio componitur; istae enim omnes tumorum species observantur, quibus ob locum, quo insident, nomen haemorrhoidum indiscriminatim tribuunt nonnulli Nosologi. Haemorrhoides vel in ima intestini recti parte latent, vel ad podicis ambitum conspiciuntur. Hinc internae, vel externae vocantur: in primo casu,

---

(1) Epididymus ex ἐπὶ supra, et δίδυμος geminus: testes enim geminos etiam dixerunt Graeci, quia vere gemini sunt. Epididymus igitur significat fasciolam vascularem margini superiori testis per longitudinem adplicitam, quasi additamentum supra testem. Hippocrates vero, atque Galenus epididymi nomine intelligunt intimam testium tunicam.

si in illud intestinum digitus immittitur, obviā fiunt tubercula persaepe distincta, quae tactum vel levissimum pati nequeunt, haec tubercula dejectionem molientibus saepissime procidunt, nec semper regrediuntur; in secundo casu circa podicem inveniuntur tubercula sphaerica, levia, primo mollia vesicularum instar, mox dura, renitentia, violacea, majorem, minoremve dolorem inferentia, et varia numero, ac magnitudine. Haemorrhoides periodicis irritationibus, inflammationibus, fluxibus sanguinis, et muci obnoxiae evadunt.

330. Lis est inter Pathologos circa aneurysmatis originem: alii volunt, quandoque a dilatatis arteriae tunicis, quandoque a disruptis produci aneurysma, alii semper a disruptis. Hanc opinionem primus stabilivit, atque tutatus est Eques Scarpa (1) splendidissimum Chirurgiae lumen, ac Italiae decus. Illa tamen opinio adhuc invalet in Gallorum praesertim scholis; Angli vero postremae opinioni admodum propensi videntur (2). Nonnunquam accidit quidem arteriae mollities, atque laxitas (uti innuimus in

---

(1) Consul. Scarpa sull' aneurisma, riflessioni, ed osservazioni anatomico-chirurgiche. Pavia 1804.

(2) Consul. Scarpa, memoria sulla legatura delle principali arterie degli arti, con una appendice all' opera sull' aneurisma. Pavia 1817.

V.° ordine), sed haec nullomodo est cum aneurysmate confundenda: uterque enim morbus propriis, et sat conspicuis notis discernitur, et aliquoties una existit.

331. Ticinensis igitur Professoris doctrinae innixi aneurysma definimus tumorem pulsantem ab hiante arteria subortum, et conflatum undante usque ejus sanguine, qui vel in cystide arteriae applicita colligitur, vel in spatia arteriam ambientia diffunditur. Hinc, missis caeteris aneurysmatis distinctionibus, recentes auctores aequiori jure aneurysma dividunt in *cysticum*, et *diffusum*. Qui vero alteram adhuc amplectuntur opinionem, Pathologi vocant *verum aneurysma*, quod a dilatata arteria fieri, credunt; *falsum*, quod a disrupta.

332. Hanc distinctionem primitus docuisse Fernelium, monumenta tradunt. Quae tamen distinctio non arridet iis, quibus et recens hujusce morbi doctrina, et antiqua ejus historia innotescit: siquidem prima aneurysmatis monumenta in Galeni libris absque controversia reperimus. En quod scripsit ad rem Pergamenus Auctor: « quod si
» arteria adaperta fuerit, affectus hic aneurysma
» vocatur: fit autem, ea vulnerata, cum ad cicatricem
» superposita cutis devenerit, arteriae vero ulcus
» permanserit, ipsa nequaquam conglutinata, ne-

» que ad cicatricem perducta, neque carne obtu-
» rata » (1).

333. Ex quo liquet, aneurysma productum a disruptis arteriae tunicis verum potius esse dicendum, non illud, quod fit ab hisce dilatatis, si quidem arteriae *dilatationem* aneurysmatis nomine adhuc vocare velimus. Ἀνευρυσμὸς enim, licet latine *dilatationem*, laxationem vere sonet, Galenus tamen certe intellexit, aneurysma, sive tumorem aneurysmaticum fieri quidem per *dilatationem*, sed partium arteriam circumambientium, non vero ipsius arteriae.

334. Caussa igitur proxima aneurysmatis sistit in arteriae hiatu; antecedentes vero erunt illae omnes, quae proprias arteriarum tunicas vel subito, vel lente aperire valent. Ad hujus generis caussas referimus arteriarum laesiones ob violentam vim; quamdam sive congenitam, sive adventitiam arteriosae texturae gracilitatem, mollitiem; organicas demum arteriarum morbosas conditiones, videlicet *steatomatosas*, *fungosas*, *ulcerosas*, *squamosas*, *terrosas*, etc. Quomodo pertusis arteriarum tunicis contingat et cysticum, et diffusum aneurysma, paucis indicabimus.

---

(1) Epitome Galen. Pergam. Oper. p. Andr. Lacunam. de tumor. praeter naturam *colum.* 708 Basil. 1551.

335. Quando ob morbosam conditionem lente arteria disrumpitur, minus innotescit incipiens aneurysma, sicuti et minus exploratam habemus morbosam arteriae conditionem. Tunc fissionis momento, et loco aegrotus repentinum dolorem, et crepitum plerumque persentit; prosiliens inde sanguis in obvolvens arteriam textum cellulare (HALLERI membranam adscititiam) quasi in cystide colligitur, concrescitque temporis progressu textum istud laxando, dilatando, unde suborto tumori aneurysmatis nomen tribuerunt prisci rerum medicarum scriptores, quibus dare nomina rebus jus fuit; circumscriptus tumor subito ferme nucis, mox ovi gallinacei magnitudinem adaequat, dein usque increscens ad ingentem molem incuratus pervenit, ut ob summam aneurysmatici tumoris distensionem gangraena in illo, disruptio, lethalisque demum haemorrhagia consequatur.

336. Quando ab inflicto arteriae vulnere cysticum etiam exurgit aneurysma, non alia est ejus origo, non alius progressus, et exitus. Hujusmodi aneurysmatis cystis conflata ex HALLERI membrana adscititia, distendente usque sanguinis copia, luxuriatur ob excitas vitae vires, nec non crassescit ob adjectas, et cumulatas pelliculas cellulares, adiposas, ligamentosas, aponeuroticas, musculares, prout vario loco insidet aneurysma.

337. Aneurysma *varicosum*, quod merito ad cysticum referimus, fit quando una cum vena inciditur arteria ei supposita, si tegumenti, et venae externa incisione agglutinata, per anastomosim (1) internae horum vasorum incisiones coëunt, sic ut unus arteriam inter, et venam communis pateat hiatus: sanguis vero ex arteria in venam exiliens hanc dilatat varicis instar, unde varicosum aneurysma dictum est, vel varix aneurysmatica. Hoc aneurysma citissime ad nucis ponticae volumen pervenit, raro nucis aromaticae magnitudinem excedit.

338. In hocce aneurysmate liquidus permanet sanguis, ut, compresso tantillum tumore, semper refluat; praeter communem caeteris aneurysmatis speciebus pulsationem, quoddam a sanguine arterioso in vorticem moto editum murmur non obscure afficit tangendi, audiendi, videndi etiam sensus, non raro aegri somnus ab isto murmure perturbatur, admoto ad aurem aneurysmate; vena aneurysmatica, sic dixero, aliaeque huic viciniores, et praesertim cum ista proxime communicantes murmurantur, dilatantur, passimque varicosae aliquando

(1) Anastomosis ἀναστόμωσις proprie oris apertio a verbo ἀναστομόω os aperio. Hinc fieri anastomosim ajunt Anatomici, quando vas aliquod aperit suum osculum in altero vase.

fiunt. Istud aneurysma ad perlongum tempus citra incommodum, et perniciem facile perferri comprobant HUNTER, GLEGHORN, POTT, BELL, SCARPA, aeque ac nostrae observationes.

339. Aneurysma *osseum* sic dictum, et inter cystica merito etiam accensendum pulsantem tumorem praesefert, et secundum celeberrimi SCARPA sententiam deductam de istiusmodi tumoris extispicio ita progignitur: in qua data ossis parte primum ossea materies mollescit, dein absumitur, non disrupto periosteo (1), ita ut cavum ibi exoriatur, in quod abunde prosilit sanguis ex compluribus periostei hiantibus arteriolis, unde tumor vel praegrandis contingit. Huic igitur aneurysmati cystis est periosteum, aliaeque pro loci varietate adjectae partes. Istius aneurysmatis aetiologiam (2) nos ab autopsia (3) confirmatam habemus.

340. AEgrotus, de quo praeclarissimus Ticinensis Professor, quinto anno ab amputata coxa, in cujus genu osseum aneurysma extabat, animam liquit ob

---

(1) Periosteum περιοστέος ex περὶ circum, et ὀστέον os, ossis, videlicet membrana, quae ossa circumdat.

(2) Ætiologia ex αἰτία caussa, origo, et λόγος sermo.

(3) Autopsia αὐτοψία ex αὐτὸς ipse, et ὄψις visus dicitur, quando aliquis ipse videt, videlicet quando quis videt suis propriis oculis.

consimile aneurysma totum fere mutilum femur occupans. Hinc nobis conjectare liceat 1.° osseum aneurysma fortasse suboriri a reseratis non tantum periostei, sed ossis etiam nutritiis arteriolis; 2.° non dissimile aneurysma, scilicet a compluribus hiantibus arteriolis contigisse forsan inobservatum vel mollibus in partibus. Huc probabiliter pertinere etiam possunt quidam novissimorum auctorum fungi haematodes, videlicet sanguinei: sanguineus enim graece vertitur *αἱματώδης*.

341. Diffusum aneurysma haud inepte dictum a Lancisio (1) arteriae ecchymosis fit, quando caesa sat conspicua arteria non agglutinatur, sed tegumentorum tantummodo vulnus: sanguis proinde vehementi nisu ab arteriae hiatu longe, lateque diffunditur in circumjecta sibi spatia, quae adeo implentur, et distenduntur, ut haud circumscriptus suboriatur membri tumor non undique, sed in hiantis arteriae solum viciniis pulsans. Jam Aetius optime animadverterat (2) hoc aneurysma non tam esse molle, quam cysticum; in hoc enim magis, quam in illo libera eundi, ac redeundi via san-

---

(1) Johan. Mar. Lancisii etc. Opus posthumum de mot. cord., et de aneurysmat. Lugd. Batav. an 1740, pag. 218, 219.

(2) Tetrabibl. IV. sermon. II. cap. LXI.

guini patet. Adde etiam, in diffuso citius, faciliusque, quam in cystico aneurysmate, sanguinem coagulari.

342. Abscessus sanguineus est sanguinis partim fluidi, partim concreti in peculiari cavo collectio, ob quam tumor exsurgit doloris vacuus, et duritiem in ambitu, fluctuationem in centro exhibens. Haud aliter fortasse sanguineus abscessus a quadam fungi haematodis specie differt, nisi ob id, quod in illo sanguis colligitur in sat amplo cavo, in hoc minimas implet cellulas.

343. Fungus haematodes pridem vocatur a Pathologis peculiaris tumor sat circumscriptus, nulla cysti inclusus, nulla inflammatione stipatus, non valde elatus, aut cute concolor, aut sublividus, aut ruber, pulposus, spongiosus, granosus, elasticus, plerumque doloris expers, nullis fere symptomatibus exasperatus. Hujusmodi tumor, qui aut congenitus, aut adventitius est, ex cute, nec non ex cellulari textu tum subcutaneo, tum altiore exsurgit, et fit ex sanguineis vasculis sive arteriosis, sive venosis dilatatis, seu potius excretis, et haud aliter implicatis, ac in *placenta* observare est, quae vascula non raro dehiscunt, et sanguinem in cellulas effundunt: congeniti, nec non adventiti isti tumores quandoque pulsant, frequentius fremunt; aliquoties quamdam exhibent fluctuationem; tem-

poris lapsu excrescunt, exulcerantur, gravesque haemorrhagias producunt.

344. Hic est fungus haematodes benignus; sed malignissimum aliud est fungi genus, ad quod totis viribus se occupant novissimi Pathologi. Hunc vero morbum, quem passim apud nuperos auctores confuse cum fungo haemathode descriptum invenimus, Clarissimus J. P. MAUNOIR (1) nuperrime medullaris fungi nomine nuncupavit ex eo, quod a morbosa nervorum substantiae explicatione, atque diffusione fungum istum produci, credit. Fungus medullaris nulli parti sive internae, sive externae parcit: quando visui, et tactui se objicit, tumorem exhibet cute etiam saepissime concolorem, non admodum durum, tensum, renitentem, aequalem, sed mox in papillas, in globulos prominentem, adeo ut tumor post non longum tempus ad praegrande volumen excrescat. Sub initio morbus plerumque est doloris expers; tractu temporis aliquoties maxime, aliquoties minime dolet. Ubi magis distenditur cutis, ibi atro erysipelate afficitur, in ulcerosas rimas dehiscit, ex quibus foetidus ichor

---

(1) Consule ejus dissertationem, quam non ita pridem Medica Burdigalae Academia praemio affecit: nempe Mémoire sur les fongus médullaire, et hématode. Genève 1820.

extillat, rubidae fungosae carnes excrescunt facile sanguinem fundentes, atque deciduae, sed repullulantes. Quo tempore internae partes, viscera eodem morbo persaepe afficiuntur, exinde illorum functiones quam maxime laeduntur, et mors non tarda consequitur. Adeo malum arte medica praevalet!

345. Sicuti externis notis facile confundi possunt hujusmodi tumores; sicuti curatio, quae haematodi fungo prodest, medullari quam maxime nocet; ita unum ab altero discernere res est maximi momenti. Quamobrem utilissimum ducimus hic cum haematode medullarem fungum conferre, quo clarius, prout fieri potest, spectanti, atque consideranti innotescat. Tum haematodes, tum medullaris fungus pueris, juvenibusque frequentius, quam aetate provectis contingit: utriusque aetiologia obscura est. Fungus haematodes saepius est congenitus, medullaris semper adventitius, prout nos docent observationes. Haematodes fungus non nisi ex cute, aut ex celluloso textu subcutaneo exsurgit; medullaris numquam in cute, sed in textu celluloso tum subcutaneo, tum altiore, in externis organis, in visceribus, corde forsitan excepto, in caeteris internis partibus innascitur. Fungus sive haematodes, sive medullaris, quando subcutaneus est, eadem quasi fert phaenomena, nempe formam, mollitiem, exulcerationem, rubras carnes excrescentes, san-

guinemque fundentes. Compressus autem fungus haematodes minuitur, non medullaris; aliquando fremit, pulsat ille, non hic. Haematodis fungi compages est vasculis sanguineis referta admodum intricatis in laxo textu celluloso; intima fungi medullaris structura inorganicum pulpamen exhibet cerebri substantiae simile in laxo pariter celluloso textu contentum, nec non sanguine commixtum. Demum in hoc fungus haematodes, et medullaris quam longissime differunt, quod ille chirurgiae ope radicitus sanatur; hic nullo ejus subsidio tentari potest, quin pejora consequantur mala.

346. Fungi haematodis nomen duobus recensitis morbis longe dissimilibus tributum esse, diximus: enimvero qui primus fungi haematodis nomen adinvenit, excogitavit, Hey (1) fungo vere medullari haematodis nomen dedit. Langstaff (2) fungi haematodis nomine historias tradit fungi tum haematodis, tum medullaris. Boyer (3) sub haematodis nomine confundit et medullarem fungum.

347. Alii vero auctores quodammodo fungum haematodem, et medullarem internoverunt, sed hosce morbos variis nominibus nuncuparunt. Re-

(1) Pratical observations on surgery. London 1803.

(2) Medico-chirurgical transactions vol. 8, et 9.

(3) Traité des maladies chirurgicales vol. 2. Paris 1814.

vera ABERNETHY (1) dignovit fungum haematodem; sed quamdam ejus speciem, quae est sincerus medullaris fungus, nominavit sarcoma medullare. Carolus BELL, et WARDROP (2) cancrum mollem, et fungum haematodem indiscriminatim vocant tumorem illum, cui fungi medullaris nomen tribuit MAUNOIR. BRESCHET (3) fungum haematodem, quem sic non apposite dictum animadvertit, habet tamquam carcinomatis varietatem. LANGSTAFF etiam (4), cui fungi haematodis nomen minime satisfacit, quamdam ejus speciem ad cancrum pertinere, autumat. COOPER (5) veluti synonima fungi haematodis tradit hasce voces, videlicet fungum sanguineum, inflammationem spongiosam, cancrum mollem, sanguineum carcinoma. Testium peculiarem tumorem, cui CALLISEN (6), et SCARPA (7) strumae fungosae nomen dederunt, verum fungum medul-

---

(1) Surgical observations etc. London 1804, et 1816.

(2) Surgical observations bi Charles BELL part. I. IV.

(3) Dict. des sciences médicales sub voce fungi, etc.

(4) Op. cit.

(5) Diction. de Chirurgie à l'art. fongus hématode.

(6) Principia systematis chirurgiae hodiernae pars altera, pag. 107, et seq. Hafniae MDCCXC.

(7) Annali universali di Medicina, D.re Omodei, n.° XIX luglio 1818, ec. pag. 72, e seg.

larem esse credit MAUNOIR. Exostosim spongiosam passim apud Pathologos invenimus (1), eam etiam esse ossis fungum medullarem, contendit Genevensis auctor. Fungum medullarem oculi persaepe ab auctoribus habitum fuisse pro carcinomate, MAUNOIR suspicatur, et animadvertit, hunc morbum semper externis partibus, illum contra internis, nempe nervo optico oculum ingrediente exoriri, et ad cerebrum usque protendi.

348. Nonnulli demum Clinici morbum, quem medullarem fungum nominat MAUNOIR, esse carcinomatis speciem existimant. Nos etiam viginti ab hinc annis in pedis dorso hujusmodi tumorem observavimus, qui quum causticis tentatus fuisset, brevi, et dire aegrotum letho dedit; eique quidem tumori non nisi fungi cancerosi nomen, atque naturam tribuere tunc temporis scivimus; duos quoque funestissimos hujusmodi fungi casus in oculis deprehendimus. MAUNOIR autem ex fungi medullaris, et carcinomatis comparatione contendit, eos esse morbos diversae naturae, et cum scrofulis minime esse confundendos medullares fungos. Circa fungos sive haematodes, sive medullares aliquid cer-

---

(1) Consul. ASTEY COOPER mémoire sur l'exostose, qui sous le titre d'exostose spongieuse donne l'histoire du fongus médullaire des os, comme il s'exprime MAUNOIR.

tioris fortasse proferent futurae aetates (1) subsidio praesertim anatomes pathologicae, cujus studio, et operae apud nos indefessis viribus vacat maxima cum laude nobis amicissimus Chirurgiae Doctor egregius Gallo Johannes Petrus, qui tantum sustinens negotium solus anatomicum, et pathologicum Musaeum in hoc R.° Athenaeo creavit, brevi adauxit, idque assidue ditat.

Lymphatici tumores.

349. Seri retentio, atque accumulatio constituit varia hydropum (2) genera, quae sunt: anasarca (3) vel leucophlegmatia (4) subcutaneus totius cor-

---

(1) Consul. relation d'un voyage à Londres an 1814 par Roux, pag. 211, et suiv.

Consul. prospetto della scuola di Chirurgia pratica di Jacopi, vol. 1, pag 126, e seg.

Consul. Scarpa sull'aneurisma, pag. 27 nota. Pavia 1804.

Consul. etiam Scarpa trattato delle principali malattie degli occhi, ediz. V. Pavia 1816, tom. II, pag. 285.

(2) Hydrops ὕδρωψ ex ὕδωρ aqua, et ὤψ aspectus: videlicet homo, in quo aqua apparet inter cutem.

(3) Anasarca ex ἀνὰ per, et σὰρξ caro: hoc est aqua per carnes.

(4) Leucophlegmatia ex λευκὸς albus, et φλέγμα humor albidus, frigidus.

poris hydrops; oedema (1) subcutaneus alicujus partis; hydrocephalum (2) capitis hydrops; hydrophthalmia (3) oculi; hydrorachitis (4) spinae dorsi canalis; hydrothorax (5) pectoris, mediastini, pericardii; ascites (6) abdominis, ventriculi, uteri, ovariorum, vel quarumvis morbosarum cystidum in abdominis cavo; hydrocele (7) scroti oedema, et cysticus ejus hydrops est aut vaginae testis, aut funiculi spermatici; hydarthros (8) articulationum; hydroglosse (9) sublingualis cysticus hydrops est; hydatides (10) sunt aquosi tumores parvi, et coacervati. Ad hydropes referri etiam possunt aëris, et gaz collectiones, seu pneumatosum (11) genera, vi-

---

(1) Œdema οἴδημα valet idem, ac tumor.

(2) Hydrocephalum ex ὕδωρ aqua, et κεφαλὴ caput.

(3) Hydrophthalmia ex ὕδωρ aqua, et ὀφθαλμὸς oculus.

(4) Hydrorachitis ex ὕδωρ aqua, et ῥάχις spina dorsi.

(5) Hydrothorax ex ὕδωρ aqua, et θώραξ pectus.

(6) Ascites ab ἀσκὸς uter. Quasi uter aquae plenus.

(7) Hydrocele ex ὕδωρ aqua, et κήλη hernia, quasi hernia aquosa.

(8) Hydarthros ex ὕδωρ aqua, et ἄρθρον articulus.

(9) Hydroglosse ex ὕδωρ aqua, et γλῶσσα lingua.

(10) Hydatides ab ὑδατὶς ἴδος aquula.

(11) Pneumatosis a πνεῦμα spiritus, unde πνευμάτωσις inflatio ex spiritu.

delicet pneumatosis subcutanea universalis, partialis, sive emphysema (1); thoracica externa, et interna; tympanites (2) abdominalis, stomachalis, intestinalis, uterina. Huc etiam adsciscimus physconiam (3), cujus nomine Nosologi vocant abdomen tumidum, durum, atque resistens ob inflata ejus viscera, graviditate exclusa.

350. Cystici tumores, ii scilicet, quorum materies collecta reperitur in morbosa cystide, latine folliculo, vesicula, jure ad genus *lymphaticorum* pertinent; siquidem ab immutata multimodis lympha efficiuntur: tumores isti lente excrescunt, sed quandoque ad ingentem molem; sunt doloris expertes, circumscripti, globosi, plerumque mobiles, et molles; eorum cystis a textu celluloso conficitur; idcirco ubique textus cellularis adest, exoriri queunt; iidemque distinguuntur, quoad sedem, formam, et materiam spectant. Hinc dicitur lupia cysticus tumor, qui cranio, genu, aliove artu insidet; ganglion (4),

---

(1) Emphysema, inflatio ab ἐμφυσάω inflo.

(2) Tympanites ex τύμπανον tympanum: quasi inflatio, et tensio tympani instar.

(3) Physconia a φύσκων ventricosus vox deflexa de φυσάω inflo.

(4) Ganglion morbus a γαγγλίον nervi praeter na-

qui tendinibus; testudo, nates dicuntur alii tumores cystici, qui quodammodo testudinis, et natium formam exhibent; meliceris (1) appellatur, si materiem continet melli, et cerae consimilem; atheroma (2), si pulti; steatoma (3), si sebo; hygroma (4), si liquido humori; lipoma (5), si adipi. Quandoque in istiusmodi tumoribus reperiuntur pili, crines, lapilli, ossa, aliaque (6).

Organici tumores.

351. Tumores organici, scilicet quorum materialis caussa est substantia organica praeter naturam excreta, ad molles, durasve partes pertinent. Ad molles spectant sarcoma, sarcocele, polypus, epulis, encanthis, staphyloma, pterigium, scrofula, broncocele, scirrhosarcia, scirrhus, cancer; ad duras

---

turam contortio. Hinc ganglia dicta sunt tumores insidentes tendinibus, qui a veteribus nervi vocabantur.

(1) Meliceris ex μέλι mel, et κηρὸς cera.

(2) Atheroma ab ἀθήρα pultis genus.

(3) Steatoma a στέαρ sebum.

(4) Hygroma ab ὑγρὸς humidus, liquidus.

(5) Lipoma a λίπος pinguedo.

(6) Consul. Platneri Instit. Chirurg. pag. 267, et Cels. de Medic. lib. VII cap. VI.

exostosis, tophus, gummi, paedarthrocace, spina ventosa, osteosarcosis.

352. Sarcoma (1) vocare consuescunt Nosologi magnum tumorem, qui fit ex carnosa massa informi. Istiusmodi tumores in quacumque corporis parte evenire solent: in capite nimirum, facie, palpebris, auribus, collo, pectore, abdomine, podice, artubus, etc., et ad molem praegrandem succrescunt; sunt aliquoties cuti naturali concolores, aliquoties rubescunt, livescunt, nigricant; si demum eorum formam spectemus, alii fragorum, alii mori, alii uvae, alii fici, alii piri, alii aliarum rerum species referunt, ex his etiam nomen obtinent tum apud vulgus, tum apud Pathologos.

353. Si sarcoceles (2) nomen spectemus, hoc proprie significat carnosam herniam; sed generatim sarcocele dicitur quicumque testium chronicus tumor organicus: hos tamen tumores melius est in sua genera, suasque species discernere.

354. Polypus (3) est tumor variis petiolis excre-

---

(1) Sarcoma a σὰρξ caro, unde σαρκόω carne oppleo.

(2) Sarcocele ex σὰρξ caro, et κήλη hernia. Hernia carnosa.

(3) Polypus ex πολὺς multus, et πῦς pes. Tumor multis pedibus instructus.

scens persaepe lente, simplex, vel multiplex, aequalis, vel nodosus, qui in naturali quavis cavitate extrinsecus patula praesertim exoritur; solemnes loci, in quibus excrescunt polypi, sunt nares, oesophagus, meatus auditorius, vagina, uterus, rectum intestinum. Polypum distinguunt Pathologi in carnosum, scilicet rubicundum, et duriusculum; in mucosum, scilicet mollem, albicantem, et mucos fundentem; in carcinomatosum, scilicet in flavescentem, et atrum, dolentem, et tactu vel levi sanguinolentos humores stillantem, uno verbo in carcinoma pronum.

355. Gingivae tuberculum, sive caruncula a Nosologis vocatur epulis (1). Epulides nucis volumen circiter adaequant: quaedam tamen majores sunt, quaedam minores; variam etiam habent consistentiam; aliae indolescunt, aliae non. Par ideo est concipere ab istis non modo malas deformari, sed loquelam etiam incommodam fieri, nec non ciborum dentibus confectionem admodum impediri.

356. Encanthis (2) persaepe est ipsa lacrymalis caruncula tumida vel ob inflammationem, vel ob lentum farctum; interdum est tumor sarcoma-

(1) Epulis ex ἐπὶ super, et οὖλον gingiva.

(2) Encanthis ἐγκανθὶς tumor in oculi angulo: ex ἐν in, et κανθὸς oculi angulus.

tosus, lipomatosus in cantho interno oculi extra carunculam exortus.

357. Staphyloma (1) est tumor corneae membranae oculi obnubilatae referens acini formam, et caecitatem efficiens (2).

358. Pterygium (3) est turgida, et excrescens lunata membrana, quae a lacrymali caruncula originem ducit, et super album oculi plus, minusve expanditur.

359. Scrofula (4), vel struma est tumor glandulosus, raro solitarius, chronicus, pertinax, globosus, duriusculus, mobilis, doloris expers (nisi inflammatio accedat) a retento, accumulato, coagulato succo glandulari, nec non ab adaucta ipsa glandulae substantia prognatus. Solemnior scrofularum sedes est in glandulis *lymphaticis* colli. Scrofulae dividi merito debent in veras, et spurias: verae sunt, quae a peculiari cachexia scrofulosa

---

(1) Staphyloma a σταφυλὴ uva, quasi referens uvae acinum.

(2) Consul. Scarpa circa schleroticae staphyloma op. cit. pag. 194 annot. 3 hujus libri.

(3) Pterygium a πτέρυξ ala. Quasi membrana expansa instar alae.

(4) Scrofula a scrofa, notum animal, quod habet collum tumidum, graece γρομφὰς, idem animal.

dicta procedunt; spuriae dicuntur, quae quidem apparentes illarum notas aemulantur, sed a scrofulosa cachexia sunt alienae.

360. Broncocele (1) est gutturis tumor lentus, duriusculus, dolore carens, tantoties uniformis, tantoties tuberculosus, quandoque praegrandis, persaepe in glandula thyroidea (2) insidens, non raro in colli *lymphaticis* glandulis, nec non in textu cellulari: hic morbus in nostris alpibus est endemicus.

361. Scirrhosarcia (3) est sat extensa, vix aut nil dolorifica durities textus pinguedinei persaepe tumidi, nec raro emaciati.

Scirrhus (4) dicitur affinis caemento morbosa durities circumscripta alicujus glandulae, textusque cellulosi persaepe tumidi, nec raro emaciati: scirrho pars affecta sub morbi initio naturali cuti concolor est, inaequalis, doloris prorsus expers; ingravescente morbo, excruciatur lancinantibus do-

---

(1) Broncocele βρογκοκήλη vox est composita ex βρόγκος guttur, et κήλη hernia. Hinc gutturis hernia.

(2) Thyroidea a θυρεὸς scutum, et εἶδος forma, quia cartilago laryngis, cui nomen est thyroidea, scuti formam exhibet.

(3) Scirrhosarcia ex σκίῤῥος marmoris fragmentum, caementum, gypsus, et σὰρξ caro.

(4) Scirrhus a σκίῤῥος vid. sup.

loribus fugacibus, rubescit, livescit, et ad exulcerationem propendit, nempe ad cancrum. Non parum refert scirrhum distinguere in genuinum, quem indicavimus, et in spurium, eum nempe, qui in cancrum numquam degenerare minatur. Hic etiam admonere interest, ob analogiam quandoque scirrhosas appellari quasdam partium durities, quae tamen ne hilum quidem ad scirrhi ingenium attinent.

362. Cancer (1), seu carcinoma, quibus nominibus promiscue utuntur nostrae aetatis Nosologi, proprie significat scirrhum, qui malam suam naturam multiplicibus, et quidem gravibus symptomatibus declarat. Scirrhus igitur, quando in cancrum vertitur, atque mutatur, primo prurit, intrinsecus ardet, momentariis punctionis doloribus afficitur, quandoque lancinantibus, sed fugacibus. Hinc scirrhosa pars venas obtinet aspectu lividiores, nec non alicubi varicosas; ipsa rubet, livet, fit tuberosa, magis indurescit, magnitudine usque augetur, ita ut summa cutis hiulcetur, et ulcerosas agat rimas fundentes sanguinolentam saniem. Carcinoma vero, quod huc usque occultum dicebatur, incipit esse apertum.

---

(1) Cancer, seu carcinoma: *καρκίνος* cancer piscis, et morbus, ex *κάρα κινεῖν* caput movere: cancer enim morbus quasi semper est in motu, nempe latius quotidie serpit, ita Schrevelius.

363. Apertum demum, et magis magisque ulceratum carcinoma tenuem quidem, et copiosam saniem, vel ichorem fundit tam mali odoris, tamque acrem, atque rodentem, ut ipsa quandoque linamenta ulcere superposita, veluti a caustico liquore exesa, atque corrosa conspiciantur, nec non ambiens sana cutis a suffuso isto viro inflammetur, amburatur, atque ulceretur. Carcinomatis virus latius usque procedit, et altius radices morbus agit, adeo ut et *lymphatica* vasa efferentia, et glandulae praesertim, ad quas illa virulentam afferunt lympham, et textum cellulosum hisce partibus finitimum, cuncta indurescant, et carcinomatis ingenium acquirant. Demum remotiores etiam partes, totaque corporis constitutio pessime afficiuntur.

364. Ora ulceris, et proxima cutis fit tumida, et scabra; colorem adipiscitur ex rubro subnigrum; ulcus continuatur, et odoris foeditas in dies augetur. Putris etiam caro increscit, quae multum tumet, eminetque; acutissimus, acerbissimusque dolor aegrum die, ac nocte fatigat, et vexat. Febricula oritur, quae numquam intermissura ipsum extorret, corpus extenuat, et ad summam maciem perducit. Ultimo aegrotus, qui per multum saepe tempus miserum spiritum trahit, omni ferme sentiendi facultate amissa, crebrius anima linquitur, quandoque convellitur, tandemque extinguitur. Su-

binde etiam diro carcinomate laborantem sanguinis profusio interimit, si hic ex qua arteria, venaque paullo majore acri humore erosa cum impetu ruat, et supprimi nequeat. Non ita tamen res prorsus se se habet, sed pro vario morbi ingenio, pro diversa corporis constitutione, et pro ipsius afflictae partis diversitate nunc plura, nunc pauciora, nunc graviora, nunc mitiora mala contingunt.

365. Cancerosa istiusmodi ulcera non solum scirrho succedunt, sed et aliis tuberibus, uti polypis, sarcomatibus, strumis, etc., et iis praecipue, quae a Graecis καρκινώδη vocantur, nempe tubercula cancerosa Nosologorum, quae sub prima quasi apparitione malum illud ingenium manifestant.

366. Scirrhus est persaepe sat chronicus morbus; haud secus carcinoma: quamdam tamen mulierem vidi, cui acutissimum carcinoma in utrisque mammis post non longum tempus vitam ademit. Ista quum scirrho, inde carcinomate a tribus jam mensibus laborasset in dextera mamma, alterum ei carcinoma in sinistra exurgit priore pejus, adeo ut miserrima aegrota post atrocissimos dolores, et tot, tantasque aliorum malorum iliades ob ista duo carcinomata, quae nequaquam ab irritantibus medicamentis fuere sollicitata, post quinque mensium spatium animum liquerit.

367. Exostosim (1) generatim vocant Nosologi ossis tumorem sive frigidum, sive calidum, tum chronicum, tum acutum ex ipsa ossea substantia conflatum; illam etiam non inepte distinguunt in veram, et falsam: vera dicitur, quae constat ex ossea excrescente substantia, haud secus alterata; spuria est mollior, vel cavernosa, vel cariosa, vel carnosa. Hinc pro falsis exostosis speciebus habemus tophum, gummi, paedarthrocacem, spinam ventosam, osteosarcosim.

368. Tophus (2) est ossis tumor osseam omnino duritiem non exhibens, ab ossis superficie exurgens, complanatus, aequalis, saepe dolens.

369. Gummi(3) est alius istiusmodi tumor sat tophi affinis, sed hoc mollior, ac magis circumscriptus, conflatus a viscoso humore collecto vel in periosteo, vel in peculiari capsula ossi proxima.

---

(1) Exostosis ex ἔξω extra, et ὀστέον os. Quasi osseus tumor extra os, videlicet ossea excrescentia.

(2) Tophus latina vox, quae proprie significat genus lapidis asperi, qui facile in arenam resolvitur. Sensu autem translato Pathologi dixerunt ossis tumorem quodammodo referentem illius lapidis duritiem.

(3) Gummi rei notae vocabulum a Pathologis translatum fuit ad significandum quemdam ossis tumorem exhibentem gummi tenacitatem.

370. Paedarthrocace sic dicta a graecis vocibus παῖς puer, ἄρθρον articulus, et κακὸν malum, quasi in puerorum articulis malus morbus, nempe tumor, qui exsurgit ob malos humores penetrantes intimam articulorum structuram. Tumor iste est spongiosus, tuberculosus, vix dolens, et ad cariem valde pronus.

371. Spina ventosa (1), ossis sideratio, teredo est paedarthrocace acerrime dolens cum carie, et partium incumbentium inflatione, nec raro exulceratione.

372. Osteosarcosis (2) vocatur tumor factus a carnosa plerumque dolente substantia, quae ex ipsa ossis tumidi, et degenerati structura luxuriatur.

373. Demum in hunc etiam ordinem adsciscimus generalem humorum redundantiam, cui nomen est plethora a graeco verbo πληθύνω plenus sum. Distinguitur plethora in sanguineam, et *lymphaticam.* Plethorae vitium contrarium est humorum inopia.

---

(1) Spina ventosa dicta fuit ab inflatione quasi ventosa, et a dolore veluti spinae pungentis.

(2) Osteosarcosis ex ὀστέον os, et σάρκωσις carnis excretio: nempe tumor ex osse, et excrescente carne conflatus.

VIII. ORDO.

FLUXUS.

374. In *fluxuum* ordine recensemus morbos a profluentibus praeter naturae leges productos.

375. Sanguinis profusio generatim dicitur haemorrhagia, graece αἱμοῤῥαγία a verbo αἱμοῤῥαγέω sanguinem fundo composito ex αἷμα sanguis, et ῥήγνυμι erumpo. Haemorrhagia tribus modis contingere potest: vel enim sanguis disruptis vasis erumpit, vel eorum parietibus exsudat, vel a propriis vasis aberrans in secretoria transigit, atque excretoriis emitti potest; quandoquidem sanguifera vasa secundum naturam undique clausa se sistunt. Sanguinis ideo fluxus, quando nec a violenta, nec a rodente vi proveniat, contingere nequit, nisi vitalis latex in minimis vasis cumuletur. Hinc cuivis istorum repletioni subit haemorrhagiae periculum. Jamvero uti quaelibet sanguineorum vasorum particularis repletio vel *activa* est, vel *passiva*, videlicet vel vasa vitali actioni adaucta implentur, vel hac deficiente impleri patiuntur; sic haemorrhagia quoque vel est *activa*, vel *passiva*.

376. Si e naribus haemorrhagia contingit, vocatur *epistaxis* a verbo ἐπιστάζω ex ἐπὶ super, et στάζω stillo. Hinc ἐπιστάζειν instillare, italice *gocciare*.

Si e pulmonibus per os sanguis profunditur, morbus dicitur *haemoptysis* ex αἷμα sanguis, et πτύσις spuitio. Si e ventriculo, oesophago trajicitur sanguis per os, haec haemorrhagiae species vocatur *haematemesis* ex *genit.* αἵματος sanguinis, et ἐμεσία vomitio. Si ex utero per vulvam profluit sanguis praeter naturae leges, et fines, hunc morbum *menorrhagiam* vocant Nosologi ex μὴν *genit.* μηνὸς mensis, et ῥήγνυμι erumpo, veluti menstruam sanguinis eruptionem ferme similem sanguinis effusioni, quae in mense contingit foeminis intra naturae fines, nempe catameniis similem; sed uteri haemorrhagia melius vocatur a Sagaro *metrorrhagia* ex μήτρα uterus, et ῥήγνυμι erumpo. Si demum ex podice sanguis fluit, *haemorrhois* dicitur: haec enim vox ex duabus graecis componitur, αἷμα sanguis, et ῥοὴ fluxus, unde haemorrhois etiam vocatur serpentis genus pestiferi, ob cujus morsum sanguis omnis e corpore effluere creditus est, et adversus cujus ictum Celsus curationem tradit (1).

377. Epistaxis diducitur in eam, quae ab externa vi, et in eam, quae a caussis internis proficiscitur: utraque vel abunda, vel parca est; quae interna caussa exoritur quandoque critica, quandoque symptomatica contingit; si autem absque febre, aliove

(1) De Medicina, lib. 5, cap. 27, pag. mihi 311.

morbo accidat, nec quid boni afferat, nec quid morbosi relinquat, neutra dici potest. Epistaxis pueris frequentior est, prae caeteris iis, qui ab infirmis geniti parentibus, et debiles pleno, lautoque victu aluntur, corpus vero parum exercent: hi, observatione magistra, nisi a tali victu abstineant, nisi exercitam vitam agant, adolescente aetate haemoptysi obnoxii facile evadunt. Senibus, quibus praeter consuetudinem sanguis frequentius per nares erumpit, metuenda est apoplexia.

378. A critica epistaxi non raro morbos acutos, uti phrenitidem, febrem ardentem, hepatitidem, pleuritidem, apoplexiam; interdum etiam chronicos, uti diuturnam cephalalgiam, gravedinem, nervosam distensionem solvi, observatione constat. Aliquoties epistaxis, licet non prorsus morbum solvat; hunc tamen plurimum levat, quod in variolis potissimum eruptionis tempore accidit.

379. Symptomatica vero epistaxis a morbo, ejusque caussa profecta nocet, et interdum non sine periculo est: ab hominibus enim valde infirmis quandoque vita cum sanguine effunditur, vel iis tabes, suffusio, amaurosis succedunt. Ubi vero hecticis, quibus sanguis valde liquatus est, et omnia vasa resoluta, laxaque sunt, sanguis e naribus copiosior profluit, mors in propinquo esse solet.

380. Neutram epistaxim, nempe absque ulla sanitatis noxa, nec non sine meliore valetudine adolescentuli, juvenes, viri, cuncti bene valentes adventante vere, nec non fervida tempestate patiuntur.

381. Haemoptysis distinguitur a sputo cruento, quod quandoque a faucibus erosis, a gingivis, a dente carioso, crebrius a naribus fertur. Aliud sputum cruentum est in peripneumonia, ubi sanguinem cum pituita immixtum tussis extundit.

382. Quibus haemoptysis imminet, ii sentiunt aliquam spirandi difficultatem, molestam faucium, et pectoris praesertim constrictionem, oppressionem, *horripilationem* (1), et frigus in extremis artubus, dolorem in pectore, cordis palpitationem. Exinde aeger paullum tussire incipit, pruritum persentit, et quemdam calorem in trachea ascendentem; sanguis in os fertur, qui coccineus, aëre commixtus, spumosus respuitur.

383. Hic morbus frequentior junioribus, quibus corpus procerum est, et tenue, fibrae laxae, et debiles sunt; quibus vultus facili rubore suffunditur; quibusque pectus est depressum, praecipue si eis

---

(1) Horripilatio derivatur a latino verbo horripilo Apulei composito fortasse ex horrore, et pilis. Horripilatio igitur apud Pathologos idem sonat, ac pilorum horror, erectio.

sanguis abundat, et tenuis, dilutus, rubellus sit. Morbus haereditate propagatur. Quae omnia ad haemoptysim *praedispositiones* sunt.

384. Hujus autem morbi caussae antecedentes sunt catameniorum, et haemorrhoidum suppressio, citatior cursus, vehemens nixus, ira diutina, et contenta vociferatio, tibiarum inflatio, potus nimium excitans, balneum calidum, pertinax alvi adstrictio, nisus ad alvum exonerandam, vel ad partum edendum, arctiores vestes, arctiores thoraces muliebres, levis aër altae atmosphaerae, et nimis frigidus, sulphurei praesertim inspirati vapores, humorum nostri corporis acrimonia. Quandoque violenta vis in corpus, sed quam maxime in pectus illata haemoptysis caussa efficiens evadit hominibus vel sanissimis. Phthisicis non raro sanguis ex pulmonibus prorumpit, quae res hominem subito strangulat, vel mortem certe maturat.

385. Haemoptysis exorta, menstruis suppressis, aut obstructis haemorrhoidibus jam periodice fluentibus, eorum plerumque periodum servat, vicesque gerit: vera haemoptysis nunquam sine periculo est, sed raro derepente funesta. Ex caussarum notitia, atque aestimatione tum prognosis hujusce morbi, tum medendi ratio est petenda.

386. In haematemesi persaepe nigricans, atque coactus sanguis ex ventriculo, vel oesophago reji-

citur, non raro magna cum nausea; sanguinis vomitio aliquoties violenta vi producitur, uti ictu, casu, vulnere, acri medicamine, aut veneno, aut hirudinibus epotis, aliquoties dilatatis, sponteque ruptis vasis sanguiferis, aliquoties internis aliis caussis, quae sunt totidem morbi ventriculo, hepate, liene, horumque viciniis obsidentes; proinde haematemesis tunc est eorum morborum symptoma. Procatarticae vero caussae, quae haematemesim producere valent, eaedem fere sunt, ac illae, ex quibus oritur haemoptysis. Quando haematemesis scaturigo in ventriculo est, circa epigastrium et dolor, et pondus, et anxietas, et ardor plerumque percipiuntur. Ex morbis, quibus progignitur haematemesis, hujus prognosis, et curatio sunt desumendae.

387. Metrorrhagia exoritur vel quasi praecocibus, et abnormibus catameniis, vel hisce nimium profluentibus, vel in mense repetitis, vel graviditate, vel abortu, vel partu, vel excedentibus lochiis, vel uteri polypo, scirrho, cancro, et quovis alio ulcere, vel procidente, inversaque matrice, vel quibuscumque aliis caussis, ob quas in uterum impetat sanguis jam transacta catameniorum aetate.

388. In aestimandis praecocibus, abnormibus, nimiis catameniis considerari praesertim debet clima, aetas, temperamentum, corporis habitus, et conspicua debilitas, aut morbus: menstrua enim sub tor-

rida zona praeveniunt, sub septentrionali retardant; complures foeminae quot mensibus absque bonae valetudinis noxa, imo naturae fine magnam sanguinis copiam emittunt; quandoque catamenia etiam profusiora eveniunt, illaesa prorsus sanitate, si per aliquot menses fuerint suppressa. Quum e contrario sanguis cum impetu erumpat, et ex hac profusione periculum immineat, aut quum, hoc profluvio per plures dies perseverante, foemina valde debilitetur, exquirendae sunt caussae inter eas, quae generatim haemorrhagiam ciere valent.

389. Metrorrhagiae, quae graviditate, abortu, partu, lochiis proveniunt, obstetriciis disciplinis sunt dignoscendae; quae autem uteri polypo, scirrho, cancro, ulcere, procidentia, inversione exoriuntur, pernoscentur ex istorum morborum scientia. Metrorrhagia, exacta catameniorum aetate, absque dictis morbis ob communes haemorrhagiae caussas contingere potest; huic nihil est caeteris haemorrhagiis non commune.

390. Haemorrhoidibus fluentibus, observatio docuit, corpus a variis, gravibusque morbis tutum praestari, plures etiam morbos nec minus graves solvi; e contrario si haemorrhoides tum externae, tum internae reprimantur, graves invaletudines, imo funestos morbos enasci. Hoc tamen profluvium, observatione etiam magistra, non semper criticum,

sed non raro symptomaticum esse solet, quod a faecibus induratis, et intestino recto haerentibus, a viscerum abdominis obstructione, ibique praepedita sanguinis circuitione ortum profluvium reddit corpus imbecillum, et aliis morbis obnoxium.

391. Salutares plerumque sunt haemorrhoides, quae anno circiter trigesimo fluere incipiunt. Si pueris adveniunt, plerumque adolescente aetate iterum conquiescunt, et varias valetudines relinquunt. Salubriores sunt, quae certam periodum servant, quam vagae. Ea vero periodus varia est: nonnullis sexto quoque mense, aliis singulis mensibus recurrunt; sunt alii, quibus hoc profluvium fere perpetuum est. Nec foeminae haemorrhoidibus sunt immunes, quibus frequentiores sunt caecae, quam apertae. Prae caeteris gravidae, et parturientes iis obnoxiae sunt, quippe quibus ab utero venae hypogastricae comprimuntur, et quibus sub vehementioribus partus nixibus capitula venarum intumescunt. Quibusdam haemorrhoides cum catameniis fluunt; pluribus vero post catamenia quot mensibus, nec non transacta catameniorum aetate haemorrhoides succedunt. Viri haemorrhoidibus sunt obnoxii, plethorici praeprimis, quibus sanguis crassus est, ita ut difficilius per abdominis viscera circumire queat. Plurimum conferunt vita sedentaria, hypochondriorum compressio, alvus adstricta, libe-

ralior vini, ardentisque liquoris potus, veneris, et aphrodisiacorum abusus, opiparae mensae aromatibus conditae, frequens remediorum purgantium, et diureticorum usus. Equitantes, et rhedarios, qui dum equo vel rheda vehuntur, valde succutiuntur, haemorrhoidibus frequentius laborare, observatio docet.

392. Raro haemorrhoides tantum sanguinis fundunt, ut metus esse possit. Tunc fluxus mali ominis est, cum magnam, et in dies crescentem debilitatem adfert. Aeque periculosum est, haemorrhoides, ac menstrua derepente supprimi. Hic pronum est admonere, tumoribus haemorrhoidalibus quandoque non sanguinem, sed puriformem mucum effundi, et hujus humoris fluxum vicarium esse fluxus sanguinei.

Traumaticas vero haemorrhagias, earumque praesidia vos praeclarissimus Professor Geri edocet omnibus numeris absoluta tractatione.

393. Frequens, et copiosa emissio urinae minime secretionis opere confectae dicitur *diabetes* a graeco verbo διαβαίνω transeo, ac si humores tunc per renes transeant, potius quam in iis urina vere secernatur. Involuntaria urinae emissio *enuresis* vocatur a verbo ἐνουρέω urinam non contineo, quasi mictio continua, urinae incontinentia.

394. Ubi diabetes imminet, ab initio in urina saepius albicantia, et quasi farinosa conspiciuntur,

quae humores non bene subactos significant. Aegri praeter potionum modum mingunt, urina autem cruda est, cum qua sub finem vel chylosus humor, vel aliae ex assumptis non mutatae materiae efferuntur. Increbescente tandem malo, poturae vix, aut ne vix quidem mutatae exeunt pro urina. Accidit plerumque lumborum dolor, oris, totiusque corporis siccitas. Quae omnia pedetentim increscunt, ut tandem macies sequatur.

395. Proxima hujusce morbi caussa creditur viscerum debilitas, et renum praecipue, qui relaxati humorem non secernunt, sed crudum transmittunt. Antecedentes vero caussae praecipuae sunt otium, torpor, cibi viscidi, glutinosi, potus nimius, praesertim diluens, medicamentorum, thermarum abusus, aliaque similia, quae vitae vim imminuere valent. Ceu totidem *praedispositiones* ad diabetem habendae sunt cachexiae omnes. Morbus periculosus evadit, si maciem inducat; aeger autem in praecipiti esse solet, si magna viscerum adsit labes, et hectica febris accedat.

396. Urinae nimiae profusio non semper verum diabetem constituit: lotium enim variis aliis caussis profundi potest, veluti si humores per alias vias excerni soliti, puta sudor, insensilis perspiratio repressa persaepe ad renes feruntur. Idem accidit foeminis post partum. Urinae abundae, atque aquo-

sae eveniunt hypochondriacis, hystericis, decrepitis. Aliquando urinae profluvium criticum evadit, uti in variis hydropum generibus, uti in febribus acutis, aliisque morbis.

397. Enuresis, sive urinae incontinentia frequentior pueris, ac senibus evenit, quippe qui vesicae imperare nequeunt. In pueris hoc plerumque dependet a mala consuetudine, a fallacibus insomniis, ab acri urina, ab exquisitiore vesicae sensu, a nimis protracto somno per longas noctes, a distracta mente in die. Id vitii senibus quoque contingit praecipue ob relaxatum vesicae collum, eoque difficilius tollitur, quo provectius est; vesicae fistulis succedit, quibusdam etiam morbis ob resolutum vesicae collum, uti apoplexiae, paralysi, epilepsiae, aliisque; succedit et foeminis graviditate provectis.

398. Mucosa, et purulenta mictio *pyuria* vocatur, quod nomen ex πύον pus, et οὖρον urina componitur, sicuti urina tunc pure commixta apparet. Sanguinolenta denique *haematuria* ab αἵματος sanguinis, et οὖρον urina. Mucosas urinas ejicit irritata quomodocumque vesica; purulentae vero mictiones abscessu, et ulcere producuntur tum vesica, tum urethra insidentibus, vel cum his communicantibus. Pyuria igitur semper est symptoma idiopathicorum morborum, quorum doctrinas de theorico-practicis chirurgiae libris abunde haurimus.

399. Haematuria quoque symptomatica est, haud aliter ac pyuria, si excipiamus senum illam, quae ceu idiopathica haberi potest. Senibus nimirum sanguis non raro in vesicam destillat, maxime si iis haemorrhoides jam fluentes suppressae sint. Hoc profluvio, si diu manet, et si multum sanguinis cum urina redditur, vel ubi haec sanguinis profusio perpetua est, et se haud remittit, tandem aegri exhauriuntur, adeo ut senes, quibus semper majus imminet periculum, tabe saepissime consumantur.

400. Ingestorum ex ore ejectio nuncupatur vomitus; ad hunc inclinatio, incitamentum, dicitur nausea.

401. Sudoris praeter naturam copiosa emissio nominatur *ephidrosis* (1).

402. Salivae fluxus vocatur *ptyalismus* ex πτυαλισμὸς crebra sputi ejectio.

403. Lacrymarum morbosum defluvium in genas appellatur *epiphora* ex verbo ἐπιφορέω cum impetu infero, quasi lacrymatio cum impetu illata.

404. Seri mucosi e naribus fluxus dicitur *coryza*, graece κόρυζα humor e capite fluens, quasi ex κάρα caput, vertex, et ζέω ferveo, ebullio, quia humorem hunc sero-mucosum veluti capite ebullire ve-

---

(1) Ephidrosis ἐφίδρωσις ex ἐφ pro ἐπὶ super, et ἵδρωσις sudatio. Quasi profusa sudatio.

teres crediderunt, uti revera ex membrana mucosa narium inflammata effluit.

405. Catarrhi (1) faucium sonora emissio *screatus* dicitur; *expectoratio* vero appellatur, si ex larynge, trachea, pulmonibus catarrhus ejiciatur. Puriformis materiae fluxus ex aure vocatur *otorrhea* ab οὖς ὠτὸς auris, et ῥοὴ fluxus; ex oculis, et palpebris *lippitudo*. Psorophthalmia dicitur scabra ophthalmia ex ψωρὸς scaber, et ὀφθαλμία oculi morbus: ea est lippitudinis species, in qua scabri oculi sunt, quod maxime in angulis esse consuevit. Xerophthalmia licet ex etymologia significet siccam ophthalmiam, nomen enim componitur ex ξηρὸς siccus, et ὀφθαλμία; in hoc tamen morbo oculi praegravi pituita inhaerescunt (2). Si ex mulierum genitalibus catarrhus defluat, *leucorrhoea* a λευκὸς albus, et ῥοὴ fluxus vocatur.

406. *Vomitus*, *nausea*, *ephidrosis*, *ptyalismus*, *epiphora*, *coryza*, *screatus*, *expectoratio otorrhea*, *lippitudo* totidem sunt symptomata peculiarium morborum: ab horum proinde disciplinis illorum tractatio non est sejungenda. Hic nonnulla de *leucorrhoea*, quae ceu idiopathicus morbus considerari solet.

---

(1) Catarrhus κατάῤῥους defluxio a verbo καταῤῥέω defluo.

(2) Vid. Cels. lib. VI, cap. 6, §§. 29. 31.

407. *Leucorrhoea* (1), sive fluor albus benignus accidit foeminis, quibus plerumque catamenia vel nulla, vel deficientia, vel vitiata sunt, et debilis est corporis constitutio. Si morbus invalescit, sudor foetorem spirat; et facies fit pallida, urina turbida; languor, nausea, lumborum dolor, atque anxietas accedunt menstruorum praesertim tempore. Fluor interdum albidus est, quandoque flavescens, nonnunquam acer. Hic morbus frequens est foeminis, quae pluries foetarunt, rarus virginibus: quandoque tamen his evenit, siqua cachexia laborent, si lascivae, et tribades (2) sint; imo evenit etiam puellulis, et infantibus absque ulla externa caussa. In gravidis huic malo caeteroquin minime obnoxiis interdum albidus humor tempore, quo catamenia evenire solita erant, defluit. Albus etiam fluxus succedit non tam raro puerperis praeter lochia, siquae secundinarum reliquiae in utero remanserint.

408. Sedes hujusce morbi esse videtur tum ute-

---

(1) Leucorrhoea dicta est a λευκὸς albus, et ῥοὴ fluxus. Dicitur et blenorrhoea ex βλέννα mucus, nec non blenorrhagia, si acutus sit morbus, ex dictis vocibus, et ῥήγνυμι erumpo.

(2) Tribades τριβάδες a verbo τρίβω frico, tero dicuntur foeminae libidinis perditae, ac nefariae lasciviae, quae in sexum suum libidinem exercent.

rus, tum vagina. Caussae utplurimum sunt nimis toleratum frigus pedum, vapores carbonici ad genitalia admissi, totius corporis imbecillitas, cachexiae, abundae metrorrhagiae, aër humidus, paludosus, victus inops, et malus, purgantium abusus, desidiosa vita, venereae concupiscentiae, tribadum vitium.

409. Leucorrhoea distingui praesertim debet a syphilitica gonorrhoea, et a malo pure, quod fluit ex carcinomatoso uteri ulcere. Fluor albus valde pertinax est, praesertim si vetustus: non desunt tamen foeminae, quae per naturalem vitae cursum sine noxa hoc profluvio laboravere. Aliae a diutina leucorrhoea in maciem, et tabem deducuntur. Id frequentius accidit, si morbus variis remediis praecipue adstringentibus internis, nec non externis male tentatus fuerit. Nonnunquam ex hujusmodi curatione etiam commotiones hystericae, efflorescentiae variae, aliaque mala suboriuntur. Non difficilem curationem obtinent juvenes foeminae, quando albus fluor ex vitiatis menstruis, aut ex alienis in utero relictis ortus fuit. E contrario imbecilles, cachecticae, vetulae hujus mali prorsus difficilem curationem obtinent.

410. Ad alvum exonerandam frequens incitamentum, et conatus vocatur *tenesmus* graece τεινεσμὸς a τείνω tendo. Faecum liquidarum frequens

dejectio dicitur *diarrhoea*, graeca vox, quae latine significat fluxionem; sed a Nosologis pro alvi fluxione tantum sumitur. Si, quod ejicitur, biliosum est, id fluxum *hepaticum* vocant quidam Nosologi. Cibi ferme non mutati humoribus intestinalibus abunde remixti dejectio vocatur *lienteria* a λεῖος laevis, facilis, et ἔντερον intestinum, quasi morbus ab intestinorum laevitate, facilitate. Albescentis materiei, seu quasi chyli alvina exoneratio appellatur *coeliaca passio*, quod nomen derivatur a κοιλιακὸς laborans morbo fluidae κοιλίας, scilicet fluidae alvi. Faecum sanguinolentarum dolorosa, et crebra demissio nuncupatur *dysenteria*, vox composita ex δὺς particula, quae in verborum compositione significat aegre, male, et ἔντερον intestinum, quasi dolorosa intestinalis dejectio. *Cholera* morbus dicitur, quando, quae in ventriculo, et intestinis sunt, omnia cum impetu supra, infraque erumpunt: cholerae nomen nonnulli derivatum volunt ex χολὴ bilis, inde cholera morbus, in quo bilis et dejicitur, et evomitur.

411. Ex traditis compertum est, *tenesmum*, *diarrhoeam*, *lienteriam*, *coeliacam passionem*, *dysenteriam*, *et choleram morbum* iisdem quasi caussis exoriri, similesque esse affectiones morbosas, videlicet vitiatas alvi dejectiones. Hic igitur valde refert harum saltem praecipua indicare discrimina.

In tenesmo quidem desidendi incitamentum adest, sed, quod ejicitur, parum est. In diarrhoea faecum liquidarum, et copiosarum dejectio crebra contingit, persaepe absque nausea, vomitu, et vehementibus torminibus: conciti enim humores haud vitiati sunt. In hepatico fluxu abdominis viscera, sed hepar prae caeteris, quid labis habent, ab initio dejectiones sunt aquosae, mox biliosae sine torminibus, non tamen sine quodam acrimoniae sensu. In lienteria alimenta cruda, non mutata, sed qualia devorata, et epota fuerunt, per alvum excernuntur, non tam frequenter, et nullis plerumque cum torminibus. In coeliaca passione, si indigestae materiae, si chymus, si chylus dejiciuntur, erui potest, utrum integer, aut infirmus sit ventriculus; utrum vitiata sint intestina tenuia, an crassa, an mesenterium. In dysenteria velut assiduus est tenesmus, et continua nausea, borborygmi frequentes, et atrocia tormina suscitantur, crebrae contingunt ejectiones cruentae, et puriformes. In cholera morbo intensissimi dolores aegrum excruciant, vomitiones, dejectionesque fere assiduae sunt, et quam maxime violentae. Ex quo aperte liquet, choleram esse morbum acutissimum, non vero fluxum hepaticum. In horum denique morborum diagnosi, atque therapeja summo studio, et perspicaci indagine sedes, et caussae morbi sunt inquirendae.

412. Huc referri quodammodo potest abortus, nempe ejectio foetus ob immaturitatem nondum vitalis. Utero etiam decedere quandoque observamus carnosam massam fibrosam, vascularem, uno verbo vere organicam, quae fortasse informe germen est, et molae nomen obtinuit. Jam HIPPOCRATI, ARISTOTELI, PLINIO, GALENO, veterumque aliis innotuisse molas, sat superque testantur eorum scripta. Molarum partus millenis fabulis occasionem dederunt vel apud eruditos viros: quod compertum fit ex libris Cornelii GEMMAE, Levini LEMNII, Thomae BARTHOLINI.

413. In utero virgineo sponte molam non excrescere, sed sexuum coitum ad eam concipiendam esse necessarium, asseveramus; illam enim nihil aliud esse, nisi evolutum ovum, in quo foetus utplurimum non multo post conceptionem perit, delitescit, evanescit, crescente usque placenta, pro certo habent nostrae aetatis Pathologi. Prae caeteris hanc opinionem tutati sunt LEVRET, VATER, RUISCH observationibus freti. Siquidem eamdem structuram tum in molis, tum in placentis nacti sunt; molas non raro placentae formas servasse, conspexerunt; molas, et foetus una fuisse editos aliquoties observarunt; in molis foetuum non prorsus absumptorum reliquias identidem reperisse testantur.

414. Molarum figura, volumen, pondus admo-

dum varia sunt: quinque librarum molae fuisse observatae leguntur; Hanscoph duarum librarum molam osseo cortice intectam se vidisse, narrat. Molae autem in utero minus saepe per novem menses gestantur. Foris inspectae molae a polypis, hydatidibus, grumisque coacti sanguinis facile discernuntur ob singulorum notas; molae vero gestatio a bona graviditate nullis certis signis dignosci potest.

IX. ORDO.

VIVENTIA INTUS, ET IN CUTE HOMINI INFESTA.

415. Nos hic hospitantes in digestionis visceribus, nec non in aliis humani corporis partibus vermes, aeque ac bestiolas varias in cute nidulantes summatim indicabimus. Hujusmodi viventia, quae humanam speciem ulla quasi sine venia infestant, licet morborum potius caussae, quam ipsi morbi sint; attamen et a vulgo, et a medicis ceu morbi censentur: propterea non prorsus abs re erit illa in peculiari ordine recensere. Praecipuos hominum vermes non naturalis historiae scriptorum, sed pathologorum more discernimus, et significamus: hi sunt *lumbrici*, *ascarides*, *cucurbitini*, *taeniae*, *trichures*, *gordii*, atque *hydatides*.

416. *Lumbrici* (1) in se toti teretes, atque rotundi sunt; cutis colorem lacteum, vel carneum habent. Eorum longitudo saepe pedalis est; crassities varia duas, tresve plerumque lineas aequat. Lumbrici in tenuibus intestinis inhabitant, in ductu *choledocho* (2), *hepatico*, et hepate ipso, nec non in cystico canali, et in ipsa fellis cystide, ut in cadavere observavimus, quin amara bilis eos adhuc enecasset. Infantes, foeminae magis lumbricis obnoxii sunt. Vermes isti reptando, sugendo primam mali labem visceribus inferunt. Hinc dolores, nauseae, vomitus, mucosae alvi dejectiones proveniunt.

417. *Ascarides* (3) exilissimi sunt: vix enim quinque lineas longitudine aequant, crassitie filum; albidum colorem exhibent. Illi crassa intestina, et recti praecipue rugas ad podicem occupant; molestissimum in iis partibus, vicinisque pruritum incitant, nec non *tenesmum*, mucosasque alvi dejectiones, quandoque etiam veneris libidinem in utroque sexu, sed in foeminis quam maxime,

(1) Lumbrici dicti sunt ab eorum lubricitate.

(2) Choledochus χοληδόχος ex χολὴ bilis, et δοχὸς capax, veluti ductus, qui capit bilem, et ducit.

(3) Ascarides ἀσκαρίδες ex ἀσκαρίζω salio, saltito. Quasi vermes saltitantes.

quando ab ano ipsi vermiculi in vulvam prorepunt. Quaedam lumbricorum, et ascaridum species in putridis ulceribus non raro observatur; ab hisce viventibus tantopere exasperantur ulcera.

418. Cucurbitini vermes semen cucurbitae, vel potius cucumeris quodammodo referunt, unde eorum nomen; intestina crassa utplurimum incolere creduntur; et saepe faecibus immixti, uti ascarides prodeunt. Ex cucurbitinis mutuo junctis vermibus, et in longum dispositis latum vermem, *taeniam* (1) videlicet conflari existimant nonnulli; alii vero negant, sed fatentur, taeniam ejusmodi, quam cucurbitinam appellant, articulis longioribus praeditam, saepe extremos, ac veteres suos articulos reapse dimittere, nimirum in totidem vermes cucurbitinos viventes, mobilesque dissolvi. Cucurbitini vermes non secus, ac lumbrici hominibus sunt infesti.

419. Taenia, vermis solitarius etiam dictus, quatuor circiter lineis lata, plerumque albescens, et quibusdam articulis distincta insignem habet longitudinem; Goetius enim hanc vidit ad sexaginta ulnas extendi. Ista quandoque variis gyris in se ipsam contorta observantur, et in tenuibus intestinis prae-

---

(1) Taenia ob similitudinem dicta est, sicuti vere perhibet figuram taeniae, italice *benda*.

sertim stabulatur. Duae aliae taeniarum species inveniuntur: altera scilicet crassior, latior, et non articulata; altera cucurbitina (sicut innuimus §. 418) capitata, vel non, idest *acephala*. Infestissima hominibus est taenia; edendi enim fastidium, nauseae, vomitus, malae digestiones, praepeditae nutritiones, tormina, diarrhoeae, dysenteriae, animi defectiones, accessus epileptici, amauroses, etc., uno verbo tot, tantaeque morborum iliades ab isto malo hospite producuntur, qui difficillime etiam eliminari potest.

420. Thricures (1) vermiculi sunt breves, graciles, tenues, albidi, splendentes, pellucidi corpore terete rotundo, cauda, et proboscide filiformi, crassique intestini persaepe incolae. Hi etiam haud aliter, ac lumbrici hominum sanitatem male afficiunt.

421. Gordius, sive dracunculus vermis est peculiaris, *filiformis*, aequalis, levis, pallidulus, aut subruber, miros in modos contortus, atque intricatus: unde gordii nomen obtinuit ex nota fabula. Vena Medina Arabum altera gordii species est, quae artus ingreditur praesertim inferiores, et serpit per textum cellulosum, tum subcutaneum, tum

---

(1) Thricures a θρὶξ ιχὸς pilus pili, et ὀρὰ cauda: quia habent caudam, nec non proboscidem *piliformem*. Proboscis προβοσκὶς dicta est a πρὸ ante, et βόσκω pasco.

intimum: hinc furunculos plerumque excitat. Gordii etiam in intestinis nidulari non sine gravissimis noxis visi fuerunt.

422. Hydatidis nomine designant Nosologi morbosam vesiculam pellucidam absque ullo inflammationis indicio, quae, quando disrumpitur, limpidum serum effundit. Hinc hydatidem dixerunt quasi bullulam aquula plenam: ὑδατὶς enim valet aquulam. Hydatidis etiam nomine nuperi vocant peculiares prorsus vermes, qui pellucidae vesiculae aquosae formam exhibent, quique ideo vermes vesiculares etiam dicuntur. Hujusmodi hydatidem, ut haec ab illa distinguatur, animatam vocant.

423. Jam exeunte saeculo decimoseptimo Hartemann, et Tyson primi animadverterunt, plerosque *hydatidosos* tumores esse reapse todidem corpuscula animata. Linnaeus dein, et Pallas, Muller, Goéze, Leske, Bloch, Werner, Batsch observationibus freti harum bestiolarum doctrinam illustrarunt. Pallas hydatidem vermem inter taenias recensuerat; Cuvier autem, Lamarch, Bosc, aliique insignes rerum naturalium auctores peculiarem hydatidum ordinem constituerunt, quorum praecipua genera nunc temporis sunt *cysticercus* (1),

(1) Cysticercus e κύστις vesica, et κέρκος cauda: caudam enim habet instar vesicae.

polycephalus (1), *ditrachyceras* (2), *echinococcus* (3), *acephalocystis* (4). Horum vermiculorum figura, constructio admodum est varia: in hisce generatim animadvertendum est corpus gracile, oblongum, lineis, rugis, nodis distinctum, caput varie instructum, et cauda in vesiculam desinens. Ipsorum autem discrimina sat comperta fiunt a nominum etymologia (5).

424. Una, vel plures ex hisce bestiolis, quae adeo imperfectae sunt, ut vix ad animantium genus referri queant, propria cystide, seu folliculo includuntur, et ita conclusae vitam degunt praesertim in textibus organorum, in membrana cellulosa, et raro liberae in cavo intestinorum, aliarumque partium inveniuntur. Parvulas quandoque hydatides in

---

(1) Polycephalus a πολὺς multiplex, et κεφαλὴ caput.

(2) Ditrachyceras a δὶς bis, τραχὺς asper, et κέρας cornu; namque habet asperum cornu bipartitum.

(3) Echinococcus ab ἐχῖνος erinaceus, et κόκκος granum: ex eo, quod habet corpus globosum instar grani, et caput spinulis coronatum instar erinacei.

(4) Acephalocystis ab ἀκέφαλος sine capite, et κύστις vesica. Quasi vermis vesicularis, et capite carens.

(5) Etymologia ab ἔτυμον alicujus vocabuli origo, et λόγος sermo. Quasi sermo de alicujus vocabuli origine. A Latinis dicitur etiam graece etymon.

hominum *plexu choroideo* (1) extitisse, absque ullo sanitatis detrimento cadaverum extispicia detexerunt. Hae bestiolae, quando intima cerebri substantia insident, hoc viscus adeo vexant, ut hemicraniae, hallucinationes, vertigines, hemiplegiae, hydrocephali suboriantur. Quandoque complures aggregatae hydatides male afficiunt respirationis organa, unde dyspnoea, tussis, leucophlegmatia, etc. Quandoque in hepate, ventriculo, intestinis, eorumque viciniis, nec non in aliis abdominis visceribus nidulantes hydatides observatae fuerunt, unde icterus, nausea, vomitio, diarrhoea. Quandoque coacervatae hydatides inventae fuere in textu celluloso musculos intercedente: hinc motuum difficultates, atque oedematiae.

425. Non tam raro observare fuit, hydatides eliminatas esse vomitionis, dejectionis, aperti abscessus, aut incisionis ope, et hac ratione non paucos convaluisse aegrotos. Quod testantur Balme, Musgrave, Berthelot, Pascal, Lossius, Lind, Devilliers, Sulzer. Freteau vero, quum empyematis encheiresim (2) instituerit in quodam adole-

(1) Plexus choroideus quasi cerebri corion. Vid. pag. 201 annot. 2.

(2) Encheiresis ἐγχείρεσις idem valet, ac operatio: ἐγχειρέω enim latine vertitur aliquid operis manu aggredior, ab ἐν in, cum, et χεὶρ manus.

scente magnam acephalocystidum copiam eduxit, et hujusce curationis ope sanitatem recuperavit aegrotus. Percy enarrat, quamdam mulierem ex utero hydatides quasi peperisse (1).

426. Pediculos, pulces, cimices, muscas, culices, et quae afferant incommoda, utpote sat nota, non est cur moneamus, eoque minus alias bestiolas homini pariter infestas, quae apud nos non extant, sicuti sunt in Antillis, in America Meridionali infestissimi *pediculi Pharaonis*; in Brasilia consimiles alii ab indigenis *ningal* vocati: in Cayanna quaedam aliae bestiolae *macatae* dictae.

427. Jamvero nonnulla breviter dicemus de *acaris* (2), a quibus peculiares morbi produci dicuntur. Pathologi nonnulli cujusdam contagii caussam referunt ad peculiares vermiculos *acaros* dictos. Linnaeo etiam haec arrisit opinio, siquidem in sua dissertatione de insectorum noxis legimus: « in » acaris forte ignotis caussam quaerendam quam» plurium morborum cutaneorum, ut herpetis, » serpiginis, elephantiasis, haud magnopere dubi» taverim; imo conjectare fas est dysenteriam, sy-

(1) Cons. Rudolphi entozoorum, sive vermium intestinalium historiam. Argentorati 1810, vol. II.

(1) Acari ἄκαρι animalcula omnium minutissima, quae solent innasci cerae, et caseo inveteratis, et cuti humanae. Aristotel. hist. anim. lib. 5 cap. 32.

» philim, morbillos, variolas, petechias, pestem, » aliosque morbos, quibus genus humanum ma» xime devastatur, originem variis acaris debere ». Hi proinde acari varia obtinuere nomina, prout varii morbi ab ipsis produci creduntur: ita acaros scabiosos, variolosos, syphiliticos, petechiales, etc. dixere quidam Nosologi, de quorum tamen existentia etiamnum dubitare licet. Sed extant procul dubio in Italiae, et praesertim in Etruriae sylvis *acari ricini* a LINNAEO dicti, qui in cutim se intrudunt, eam vexant, ibique sobolescunt.

X. ORDO.

INFLAMMATIONES.

428. Priusquam in hunc ordinem peculiares morbos ab inflammatione, graece phlogosi (1), prognatos redigamus, pernecessarium ducimus de hac summatim nonnulla praefari, et quidem non longiore, prout argumenti pondus postularet, sed brevi, pressoque sermone juxta institutorum munus.

429. Factum convenit plane inter omnes: videlicet quaepiam animati corporis pars corripi inflammatione dicitur, quotiescumque rubet, calet, pulsat praeter morem, dolet, et intumescit. Hinc

(1) Phlogosis φλόγωσις a verbo φλογόω inflammo.

evidentissime consequitur, sanguinem late derivatum in partem inflammatam uberius, vehementiusque influere, quemadmodum jam ab Hippocrate primum, ejusque discipulis, deinde a Galeno, ejusque asseclis bene multis et cognitum, et traditum fuit. At si quantum sanguinis per arterias vel celerrime adfertur, tantum per venas naturali ordine reveheretur, verisimillimum crederemus, tunc nullam profecto *partialem* inflammationem fore: nam copiosiorem, vehementioremque in omnes corporis partes sanguinis projectionem, quae in febre maxime acuta semper fit, nulla alicujus partis inflammatio necessario consequitur, quamdiu a venis tantumdem sanguinis recipitur, quantum advehitur ab arteriis, et quamdiu caeterorum vasorum ex illis fluentium functiones ab irruente sanguine minime interturbantur.

430. Itaque ut pars aliqua inflammetur, nimirum ut magis rubeat, caleatque, doleat, tumeat, et pulsatione quadam pertundatur, haec probabilissime contingere videntur: sanguis a minimis arteriis avidius exceptus, vehementiusque advectus (quod pluribus ex caussis evenire potest, quae totidem antecedentes inflammationis caussae sunt) ita in partem impingitur, ut urgeat vasa lateralia, nempe cum illis arteriis quoquo modo proxime communicantia, et cujusvis speciei, nimirum sive

exhalantia (1), sive secernentia, sive nutricia; ista dilatet, et disrumpat, aut per eorum poros *inorganicos* dictos permeet: sic ille sanguis in aliena vasa, et spatia sibi viam facit, nec ideo totus in venas naturae ordine recipitur; proinde sanguinis, aliorumque humorum circuitio per capillaria vasa perquam tumultuatur, interturbatur inverso etiam ordine, ut in ranis observatum fuit microscopii (2) ope, dum eis mesenterium irritabatur. Hoc igitur modo irruens sanguis vasa minima, textusque replet, distendit, vexat, unde et alia inflammationis phaenomena.

431. Inflammationem proinde definire quasi ausimus vasorum capillarium actionem tumultuosam ob magis incitatas eorum vitales proprietates, nimirum capillarium tum sanguineorum, tum exha-

---

(1) Tommasini, et ipse Bichat fatentur, exhalantia hujusmodi vasa etiamnum ab anatome haud detecta fuisse. Proinde non nisi hypothetica. Vid. lezioni crit. di fisiol., e di patol. etc. di Tommasini, tom. III, pag. 360. Vid. anatom. générale de Bichat, tom. II, pag. 349, et suiv.

(2) Microscopium ex *μικρὸς* parvus, minutus, et *σκοπέω* video, speculor: unde microscopium instrumentum, cujus ope minuta corpora videmus, et speculamur: unde et telescopium a *τῆλε* procul.

lantium, tum secernentium, tum nutriciorum, tum aliusmodi, siqua sunt.

432. Corpus vivens, et animatum ita a natura constitutum est, ut si parti cuivis quodpiam stimuli genus applicetur, ea statim in erethismum (1) abeat, et in eam citatior, uberiorque sanguis irruat, et confertim accumulatus ibi nervos tendat, sensus vexet, calorem, ruborem adaugeat, tumoremque paret, nec non quasdam pulsationes prodat. Quae phaenomena in minimis vasis cujusvis partis occurrere possunt, quin majores arteriae, et cor apprime in aequo incitentur; immo vel sub admodum debili corporis constitutione. Hoc adeo certum est, et constans, ut neminem lateat. Illud potius obscurum, ignotumque hactenus remanet, qua nempe ratione phaenomena illa varia, et mira praestet stimulus in viventibus animantium partibus.

433 Magna adhuc inter Pathologos dissensio est circa proximam caussam, ob quam sanguis citatior, uberiorque affluat ad stimulatam quamcumque viventis animalis partem: enimvero alii majorem sanguinis affluxum ad irritatam partem adauctis ca-

---

(1) Erethismus ἐρεθισμὸς vox est deflexa de verbo ἐρέθω irrito, et latine vertitur irritatio; sed Pathologi erethismum praesertim usurpant ad irritationis effectum in vivas animalium partes designandum.

pillarium vasorum motibus systolicis (1), et diastolicis tribuunt; alii activae illorum dumtaxat *dilatationi*, diastoli nempe; alii obstructioni ob acceleratos ipsorum motus; alii contra acceleratis motibus obstructionis caussa; alii spasmo; alii incitatioribus actionibus eorumdem non sensilibus, non manifestis, et peculiari modo adhuc ignoto variatis. Verumtamen cordatissimi Pathologi, atque Clinici, et quidem in rebus medicis versatissimi hypotheticas esse hasce theorias ingenue fatentur, easque floccifaciunt, quippe quae nullomodo medendi arti proficiunt (2): de re autem ipsa, quae magis refert, uno ore consentiunt omnes.

434. Nuperi vero, qui asserunt, a stimulis *organicam sensibilitatem* immutari in *sensibilitatem animalem* toto coelo errant: *sensibilitas* enim, sentiendi nimirum facultas, non duplex, sed una est, et individua; qui demum statuunt a stimulis adaugeri

---

(1) Systolicus a systole συστολὴ contractio. Συστολὴ a verbo συστέλλω contraho ex σὺν, et στέλλω. Verbo συστέλλω opponitur διαστέλλω laxo, diduco ex διὰ latine dis in compositione, et στέλλω A verbo διαστέλλω detorta est διαστολὴ diastole, laxatio, dilatatio; et a diastole diastolicus.

(2) Cons. dict. des Sciences Méd. tom. XXIV, art. inflamm. de M. Boyer, pag. 530, 531.

sensibilitatem, et *contractilitatem*, ac ita a mutato sentiendi modo, et a vitae proprietatibus adauctis, vel magis incitatis uberiorem, citatioremque sanguinis affluxum in irritatam partem advocari, invitari, attrahi, prout nos judicare valemus, nihil, quod satis quaestioni faciat, dicunt, nec profecto aliquid magis perspicui subdunt, quam quod jam ab Hippocrate, et a Galeno dictum fuerat. Non ideo sat patet hucusque stimuli vis in ciendam inflammationem.

435. Scire nunc etiam par est, non ab omni fortasse vasorum capillarium repletione, et dilatatione effici inflammationem; nam, ut sanguinis congestio in capillaribus vasis sit verae inflammationis nomine designanda, oportet sanguinem per arterias in illa vasa velocius advehi, et partem proinde calere, dolere, nec raro quadam pulsatione pertundi. Re enim vera aliquando fit, ut vasa minima, seu capillaria repleantur, et dilatentur, pars ideo rubeat, tumeat, et quodam dolore afficiatur, nec tamen sincera extet inflammatio: praepeditus enim sanguinis per capillares venas regressus, praepeditus aliorum humorum cursus per exhalantia, per secernentia, per nutricia vasa illorum congestioni occasionem praebere valent in debilibus praecipue hominibus, nec non isti humores sibi in aliena loca viam etiam parare possunt. Tunc illa humorum

congestio inflammationis quasi phaenomena simulare potest, quin huc velocius advehatur sanguis, sed contra persaepe lentius.

436. In hujusmodi sanguinis congestione inflammationem aemulante pars quidem tumet, sed non tanto renixu; rubet, sed non adeo intense; dolet, sed multo minus, nec continue; calet, sed non ultra modum; pulsatio, siqua inest, semper secundaria contingit. Uno verbo vera inflammatio non est (licet eae congestiones possint exinde in veram inflammationem abire); quoniam primitus in partem sanguis non velocius ab incitis vitae viribus irruit, sed utplurimum lentius ab hisce defessis advehitur, et retinetur. Istiusmodi tamen congestioni nonnulli Pathologi spuriae passivae, vel hyposthenicae inflammationis nomen haud apposite tribuunt, cujus etiam inflammationis origo, et formatio non sine controversia traditur (1).

Haec pro verae, et spuriae inflammationis hypotyposi (2) sufficiant: illarum theoria aliis ex fontibus est haurienda.

---

(1) Consul. egregium opus celeberrimi Tommasini: dell' infiammazione, e della febbre continua considerazioni patologico-pratiche ec. Pisa 1820.

(2) Hypotyposis ὑποτύπωσις delineatio, ab ὑποτυπόω delineo: hoc ab ὑπὸ sub, et τυπόω figuro.

437. Inflammatio, si cellulare systema afficit, dicitur phlegmone (1); si cutaneum, erysipelas (2). Erysipelati est roseus quidam rubor, pruriginis, et ardoris sensus potius, quam verus dolor, et calor, tumor fere nullus: digito pressum erysipelas albicat in pressionis loco, rursus in ruborem abiturum. Phlegmoni rubor est satur, dolor acerbus, et continue concitus, calor verus, idest thermometro sensilis, tumor durus, et renitens.

438. Inflammationes Pathologis etiam sunt considerandae, prout vel in diversis aliis systematibus, ut ajunt Nosologi, occurrunt, nempe in seroso, in mucoso, in musculoso, in osseo, etc.; vel in magis compositis partibus, uti in organis, in vi-

---

(1) Phlegmone φλεγμονὴ a verbo graeco φλέγω uro, incendo, ardeo.

(2) Erysipelas ἐρυσιπέλας ab ἐρυθρὸς ruber, et πέλας prope, ac si diceretur morbus propemodum ruber. At Joannes SCHNEIDER in *Kritisches Griechisch-Deutsches Worterbuch* erysipelas derivat ab ἐρυθρὸς ruber, et πέλας πέλος ulcus (confer CALLIMACHI vocabulum ἄπελος); quasi diceremus morbum rubrum ad ulcus vergentem. Enimvero erysipelas in exulcerationem est pronum. A Pathologis nonnullis tamquam erysipelatis synonymum erythema usurpatur; sed HIPPOCRATES voce ἐρύθημα utitur ad designandum ruborem quidem morbosum, non vero sincerum erysipelas.

sceribus, et quidem aut in horum cortice, aut in sic dicto parenchymate (1). Inflammationes etiam distinguuntur in externas, et internas; quasi illae ad Chirurgiae, hae ad Medicinae ditionem spectent.

439. Inter externas inflammationes otitis (2) nuncupatur auris inflammatio; blepharotis palpebrae, et hordeolum, si ejus margo tumet grani hordei instar; ophthalmia (3) dicitur oculi inflammatio, cujus praecipuae species sunt taraxis (4), levissima conjunctivae, et chemosis (5), pergravis inflammatio;

---

(1) Parenchyma παρέγχυμα ex παρὰ praepositione, quae in verborum compositione significat trans, et ἐγχύω infundo. Hinc Erasistratus parenchymatis nomine appellavit propriam cujusque visceris substantiam, quum existimaret, intimam viscerum substantiam effici ex transfuso, et coacto sanguine.

(2) Monemus hic primitus, vocum terminationem in *itis*, ut in *otitis* valere apud Pathologos inflammationem partis, ex cujus nomine vox constat: otitis igitur derivatur ab οὖς, ὠτὸς auris. Hinc auris inflammatio.

(3) Ophthalmia ab ὀφθαλμὸς oculus. Terminatio *ia* a Pathologis usurpatur ad malam affectionem significandam: in ophthalmia vero ad inflammatoriam speciatim.

(4) Taraxis a verbo ταράσσω turbo. Quasi vix turbatus oculus a levi inflammatione.

(1) Chemosis a χήμη hiatus. Quia in hac ophthalmiae

ophthalmia etiam vocatur internarum oculi partium inflammatio, nec non totius oculi phlegmone, quam certe observatione innixus graphice describit SABATIER (1), et quam etiam nobis observare occasio tulit. Hanc ophthalmiae rarissimam, et gravissimam speciem saltem indicare pro nostro munere duximus. Parulis (2) dicitur phlegmone gingivae; cynanche (3), seu angina faucium; glossitis (4) linguae; coryza (5) internarum narium; reduvia, panaricium, paronychia (6) summi praesertim digiti; orchitis (7) testis; arthritis (8) articulorum; rheumatismus musculorum (9).

---

specie oculi conjunctiva adeo prominet circa corneam lucidam, ut ibi hiatum, vel quasi foveam relinquat.

(1) Méd. opératoire tom. III, pag. 48. Paris 1796.

(2) Parulis ex παρὰ juxta, et οὖλον gingiva. Parulis igitur significat inflammationem juxta gingivam.

(3) Cynanche κυνάγχη ex κύων κυνὸς canis, et ἄγχω suffoco, quasi suffocatio canibus communis. Angina vero ex verbo ango.

(4) Glossitis a γλῶσσα lingua.

(5) Vid. §. 404.

(6) Paronychia παρονυχία ex παρὰ juxta, et ὄνυξ unguis: inflammatio juxta unguem.

(7) Orchitis ab ὄρχις testis.

(8) Arthritis ab ἄρθρον articulus.

(9) Rheumatismus a ῥεῦμα ατος fluentum, fluxus; inde

440. Inter inflammationes internas phrenitidem (1) veteres, sed melius encephalitidem (2) nuperi Nosologi vocant meningum, et cerebri inflammationem; medullae spinalis, ejusque membranarum rachialgiam (3); pleurae pleuritidem (4); pulmonum pneumoniam, vel peripneumoniam (5); pericardii pericarditidem (6); cordis carditidem (7); diaphragmatis paraphrenitidem (8); ventriculi ga-

---

ῥευματίζω fluxione, vel gravedine afficior, et ῥευματισμὸς fluxio.

(1) Phrenitis a φρὴν mens, quasi inflammatio organorum mentis.

(2) Encephalitis ab ἐγκέφαλος cerebrum.

(3) Rachialgia ex ῥάχις spina dorsi, et ἀλγέω doleo: sed apud nuperos Pathologos rachialgia significat dolentem spinam dorsi ob inflammationem medullae spinalis, ejusque specialium velamentorum.

(4) Pleuritis a pleura membrana. Haec vero ex πλευραὶ costae.

(5) Pneumonia a πνέυμων pulmo. De terminatione vero in *ia* jam diximus sub voce ophthalmiae. Peripneumonia ex περὶ circa, et πνέυμων.

(6) Pericarditis ex περὶ circa, et καρδία cor, dicitur inflammatio membranae, quae cor circumvolvit, et ideo pericardium vocatur.

(7) Carditis a καρδία cor.

(8) Paraphrenitis ex παρὰ circa, et φρένες praecordia:

stritidem (1); intestini enteritidem (2); hepatis hepatitidem (3); splenis splenitidem (4); mesenterii mesenteritidem (5); omenti omentitidem (6); peritonaei peritonitidem (7); musculorum abdominalium myocolitidem (8); pancreatis pancreaticam (9); renis nephritidem (10); vesicae urinariae

---

unde inflammatio circa praecordia. Φρένες apud recentiores valet etiam diaphragma, et paraphrenitis nunc temporis significat diaphragmatis inflammationem.

(1) Gastritis a γαστὴρ venter, γαστρίδιον ventriculus.

(2) Enteritis ab ἔντερα intestina.

(3) Hepatitis ab ἧπαρ ατος hepar, jecur.

(4) Splenitis a σπλὴν splen, lien.

(5) Mesenteritis a μεσεντέριον: hoc ex μέσος medius, et ἔντερον intestinum, videlicet membrana, quae est in medio intestinorum, quaeque haec sustinet.

(6) Omentitis ab omento, graece ἐπίπλοον, quod vocabulum componitur ex ἐπὶ super, et πλέω nato: quasi membrana natans supra intestina.

(7) Peritonitis a peritonaeo. Peritonaeum περιτόναιον ex περὶ circa, et τείνω tendo: quasi membrana circumtensa.

(8) Myocolitis ex μῦς υὸς musculus, et κῶλον alvus: quasi inflammatio musculorum alvi, abdominis.

(9) Pancreatica a pancreate. Pancreas ex πᾶν totum, et κρέας caro: quasi viscus totum carnosum.

(10) Nephritis a νεφροὶ renes.

cystitidem (1); uteri hysteritidem, vel metritidem (2).

XI. ORDO.

FEBRES.

441. Febris nomen (3) alii a verbo ferbeo, sive ferveo, alii a februo, idest expio, expurgo derivatum volunt. In hanc adeo frequenter incidunt homines cujuscumque aetatis, sexus, temperamenti, aut habitus fuerint, ut una tertia pars GORTER, duae vero SYDENHAM tertiae partes morborum, quibus obnoxii sumus, ad febres spectare videantur. Non ergo quemquam admiratio subeat, si communis Medicorum opinio sit, febre plus quam dimidium humani generis occidi.

442. Sunt autem tam multa, tamque varia morborum genera, quibus nomen febris inditum est,

---

(1) Cystitis a κύστις vesica.

(2) Hysteritis ab ὑστέρα apud Medicos uterus, vulva, quum inter viscera teneat locum extremum: ὕστερον enim significat extremum. Metritis a μήτρα matrix.

(3) Febris graece dicitur πυρετὸς: unde Pathologi vocant etiam morbos febriles pyreticos, et non febriles apyreticos.

et caussarum, et symptomatum tam magnam diversitatem obtinent febriles morbi, ut febrim recte definire se posse desperaverint sapientissimi, expertissimique Medicorum. Hinc multum interest febris potius descriptionem, quam definitionem tradere.

443. Clinici igitur, ubi de febre judicium ferendum est, arteriarum motum explorant in carpis manuum, quandoque etiam in temporum alterutro; calorem cutis, pectoris, ac frontis tentant manibus; urinas inspiciunt; faciei, oculorum, et linguae colorem, habitumque contemplantur; totius corporis functiones, quo se modo habeant, diligenter disquirunt: atque his, vel horum pluribus a naturae ordine, et consuetudine aberrantibus, febrim adesse pronunciant.

444. Pulsus (1) vero summopere varius esse solet, nempe vel parvus, debilis, tardus, rarus, contractus, et inaequalis; vel magnus, validus, celer, frequens, amplus, ordinatusque; vel durus, vel mollis, prout febris in initio est, aut in augmento, et in statu, aut in remissione, et

(1) Doctrina de pulsibus dicitur ars sphygmica a verbo graeco σφύζω salio, mico, pulso, palpito. Unde pulsus graece dicitur σφυγμὸς.

fine; aut prout differt ipsius febris genus, ingeniumque.

445. Calor modo aequaliter diffunditur, modo inaequaliter partes occupat; modo exteriora frigent, dum interiora calent, vel uruntur; modo omnia algent; modo frigoris, et caloris sensu corpus subinde corripitur; modo calor acerrimus, atque urentissimus; modo mitis est, et ferme naturae morem aemulatur.

446. Urinae quandoque crudae, aqueae, quandoque rubrae, flammeae, et tenues prodeunt; saepe crassiores, jumentorumque similes, cito perturbabiles, et subsidentes; interdum naturalium instar.

447. Facies quando pallet, quando rubet, quando intumescit; nunc quam plurimum a sanorum specie, nunc quam minimum, aut ne vix quidem discrepare videtur.

448. Oculi vel graves, et tristes languent, vel rubent, vel lucem aversantur, vel prominent, vel torvi, et truces, vel lucidi nimis, vel turbidi, et luridi existunt; interdum illacrymant, nitoreque suo orbantur.

449. Lingua plerumque arescit, siti finditur, scabra, et aspera fit, rubet, aut albicat, aut variegato obducitur muco; sed non raro humida, et naturalis est, nec ulla sitis vexat aegrum.

450. Functiones totius corporis persaepe ita se habent: os amarum, aut pravum alium saporem moleste persentit; spiritus frequens, calidus, inaequalis, difficilis trahitur, saepe halitus foetet; cibi desiderium fere perit; interdum id nausea etiam excipit; raro appetitus aliquis manet; his praeterea accedunt dorsi, artuum, capitis dolor, virium languor, vigilia, aut contra sopor, mentis defectio, stupor, aut imbecillitas, delirium, alvi fluxus, vel adstrictio, vomitus, hypochondriorum tensio, tendinum subsultus, macies, aliaeque affectiones, quae aut cum febre ipsa junguntur mox inter initia, aut eidem sensim superveniunt; antecedunt vero lassitudo spontanea, somnus imminutus, et perturbatus, capitis, totiusque corporis gravitas, atque inertia, naturalium, animaliumque functionum laesio. Id omne utplurimum ob grave aliquod in rebus connaturalibus erratum contingit.

451. Horum omnium examine diligenter instituto, facile comperitur, utrum febri corpus afficiatur, nec non: non enim pulsus rarus, aut tardus, aut velox, et frequens, non tepor, non urinarum color naturali similis, non sitis absentia, non virium languor, aut integritas medentes in errorem inducent, nisi singulis seorsum acceptis nimium isti tribuerint. Conjuncta vero, et simul concur-

rentia sint oportet, si aliquid certi significare debent.

452. Sunt tamen quaedam peculiaria, quae plerumque, et generatim homo patitur, quem febris invasit. Initio utplurimum vel cohorrescit, vel riget, vel friget, rarius animi deliquio corripitur, aut in somnum propendet; paullo post calore ingenti, et diutius protracto cum anxietate quadam, atque in primis virium languore (1), siti, orisque siccitate, capitis dolore, aut gravitate, aut aestu, aliisque afficitur molestiis. Quod si ad haec pulsus frequentia, aut celeritas se adjunxerit, certius, non inficiamur, erit de febre judicium. Ex dictis facile colligitur, praecipuas, et constantiores febris notas esse calorem excedentem, totius corporis debilitatem, et quamdam in obeundis functionibus tam vitalibus, quam animalibus difficultatem.

453. Omnes quotquot existunt febres vel toto sui cursus tempore continenter durant, vel aliquando subinde spatium relinquunt a febre vacuum: priores a Celso assiduae, a nostris Auctoribus continuae; posteriores intermittentes appellantur. Prima

---

(1) Languorem Pathologi adynamiae nomine designant. Adynamia ex α particula privativa, et δύναμις vis: inde et adynamicus.

ergo, et generalissima omnium febrium partitio erit in continuas, atque in intermittentes.

454. Intermittentes frequentiores febres sunt *quotidiana*, *tertiana*, *quartana*. Non desiderantur tamen apud Medicinae Scriptores exempla *quintanae*, *sextanae*, *septanae*, *octanae*, *nonanae*, et longioribus intervallis discretarum. *Quotidiana* dicitur febris, quae simili paroxysmo revertit quotidie; *tertiana*, quae alternis diebus, nempe tertio quoque die; *quartana*, *quintana* etc. Ex *quotidianis* intermittentibus nonnullae febres ad continuitatem inclinant, anticipante semper novo paroxysmo, ita ut antecedenti nondum finito alter superveniat: istae dicuntur *subintrantes*, *subcontinuae*. In vere continuam autem migrare, et verti potest quaecumque febris intermittens, sive *quotidiana*, sive *tertiana*, sive *quartana* fuerit.

455. Continuarum febrium aliae per sui decursus tempus aequabiles, et pene uniformes sunt, aliae modo invalescunt, modo quasi subsident, adeo ut primae uno circuitu, alterae contra pluribus circuitibus a notabili imminutione, non a vera intermissione distinctis contineri videantur. Hinc continuae febres perspicuitatis gratia jure, meritoque dividuntur in continuas simplices, et continuas remittentes. Hae postremae rursus, prout paroxysmos, et circuitus habent ordinatos, aut inor-

dinatos, periodicae, vel erraticae dicuntur; illae a Cullen in tria genera distinguuntur: unum genus est synocha, alterum typhus, tertium synochus (1). *In synocha* (ait ille) *calor plurimum auctus, pulsus frequens, validus, durus; urina rubra; sensorii functiones parum turbatae. In typho calor parum auctus; pulsus parvus, debilis, plerumque frequens; urina parum mutata; sensorii functiones plurimum turbatae; vires multum imminutae. In synocho observatur febris ex synocha, et typho composita: initio synocha, progressu, et versus finem typhus.*

456. Hecticam febrim idiopathicam, quum numquam observaverit Cullen, ad symptomaticas refert, nempe ad morbos febriles, quos exinde recenset in secundo phlegmatiarum ordine (2). Hasce tanti auctoris distinctiones praemisimus utpote in nostris scholis receptas.

457. Febres pro suis caussis, symptomatibus, ingenio, etc. complures alias subeunt distinctiones, complura

---

(1) Synochus, et synocha deducuntur de συνεχὴς continuus.

(2) Phlegmatiae a graeco verbo φλέγω uro, incendo, ardeo; vel a φλέγμα ατος inflammatio, itemque humor albidus; et frigidus, nempe pituita: phlegmatiae valent morbos ardentes inflammatorios.

sortitae sunt nomina, complurimas exposcunt considerationes, quae tradere nostrum non est, proinde haec pauca de febre generatim vobis ad Chirurgiam instituendis sufficiant. At vos adhuc monere praestat, in Chirurgica Medicina facienda summopere esse animadvertendum, an febris sit idiopathica, an symptomatica cujusdam morbi chirurgici; illa enim in jus, ditionemque Medicinae concedit, haec Chirurgiae.

Febris traumatica.

458. Post ea, quae de febribus generatim primoribus labiis attigimus, nostri instituti ratio postulat, ut traumaticam febrim saltem delibemus, cujus cognitio maxime quidem Chirurgorum refert. Febris traumatica idem sonat, ac febris vulneraria: Τραῦμα enim graeca vox latine significat vulnus. Vulneratis aliquoties in morbi periodo contingit febris, quae vulneris *epigenomenon* est, quaeque ceu febris idiopathica est habenda. Vulneribus fere semper succedit quaedam febris, quae ab ipsis originem ducit, ideoque tamquam eorum symptomatica est consideranda, et vere traumatica nuncupanda. Haec autem febris non raro aliis essentialibus, seu idiopathicis febribus etiam complicatur. Fert igitur animus nonnulla indicare de febre trau-

matica, quam profecto mirandum est in tanta ejus frequentia vix perfunctorie traditam fuisse tum a Medicis, tum a Chirurgis. Postremis tamen temporibus eam sat copiose pertractarunt Fournier, Vaidy (1), Dumas (2), atque Pasero noster Chirurgiae Doctor eximius, summaeque expectationis juvenis (3).

459. Quotidiana observatione compertum est, vulnere vel levi solidum vivum, et animatum irritari, inflammari, irritationem late diffundi, febrimque accendi, nisi nimium incitata in vulnere vitalitas opportune compescatur. Sed ubi vulnus grave inflictum sit, aut magni momenti sit pars vulnerata, aut utraque adsit conditio; tunc irritatio, ac inflammatio distineri nullo modo possunt, et vera traumatica febris necessario consequitur, cujus vehementia, atque diuturnitas vulneris naturae, ac gravitati, nec non variae vulnerati hominis conditioni respondent. Enimvero vehementiorem febrem

---

(1) Dict. des Sciences Méd. tom. XV, art. *fièvres en particulier*, pag. 424, et suiv.

(2) Mémoire de la Société Méd. d'émulation tom. IV.

(3) Consul. ejus dissertationem de febre traumatica, quam dissertationem cum aliis disputationi proposuit Candidatus Amplissimi Taurinensis Chirurgorum Collegii in hoc Regio Athenaeo. August. Taurinor. 1816.

accersunt contusa, dilacerata vulnera, eaque potissimum, quae infligit corpus quodvis pulveris pyrii explosione projectum: plaga enim hoc gravior est, quo est missa contentius, illae quidem plagae contentissime mittuntur. Majus etiam febrile incendium excitant nobiliorum partium vulnera, nempe viscerum, nervorum; punctiones partis cujusdam exquisitiore sensu praeditae, puta summi digiti, eoque majus, si quid venenati in vulnus inferatur. Ardentior etiam contingit febris hujusmodi in junioribus, in sanguineo, et nervoso temperamento donatis, in praecipitibus in iram, in bene pastis, ac vinosis hominibus, in bellatoribus militari animo ferventibus, uno verbo in iis omnibus, quibus ob quamlibet caussam jam provecta adest diathesis hypersthenica, inflammatoria.

460. Traumatica febris ad *angiotenicarum* febrium genus attinet. Vox *angiotenica* componitur ex ἀγγεῖον vas, et τείνω tendo, conor: unde febris *angiotenica* idem sonat, ac febris producta vasorum tensione, conatu. A novissimis rei medicae scriptoribus *angiotenica* febris ea dicitur, quam passim auctores inflammatoriam vocant. A Galeno autem in hanc diem alii aliter nominant hoc febrium genus: synochum imputrem vocavit Galenus; synochum simplicem Riverius, atque Platnerus; synocham simplicem Junkerius; synocham simplicem, sive

febrim acutam sanguineam Hoffman; febrim continentem, sive synocham Sthal; febrim continuam, non putridam Boerhaave; synocham Boissier de Sauvages, Linnæus, et Cullen; febrim septenariam Plater; febrim continentem inflammatoriam Sellius; febrim continentem non putridam Lommius; febrim acutam simplicem Storkius; febrim continuam simplicem Lieutaud; febrim continuam depuratoriam Quesnay; synochum simplicem, vel synocham Burserius; synochum non putridam Quarin; ephemeram extensam alii, cui revera valde affine est hoc febrium genus.

461. « Neque hic credas synonymorum finem » esse (ait Burserius (1)): tanta enim est hodie » nomina pro lubitu innovandi licentia, atque in- » temperantia, ut nisi aliquantum coërceatur, » eorum numerus excrescere demum debeat in im- » mensum, et plurimum memoriae, et temporis » requiratur ad ea sola sine ullo propemodum » fructu perdiscenda. Hinc nomina a veteribus » imposita, et per plura jam secula a scriptoribus » usurpata, etsi interdum minus propria, retineo » libentius. Nova enim, ut plerumque aptiora,

(1) Institutionum medicinae practicae Joan. Baptistae Burserii de Kanifeld. vol. 1, pars alt. pag. 51; Mediolan. MDCCXCI.

» saepe tamen barbariem sapiunt, aut confusionem » pariunt, caussamque praebent priscorum libros » versantibus, ut non intelligant quibusnam ve- » terum haec recentia respondeant, aut morbum » pro morbo decepti accipiant. » Tanti judicii plenam huc afferre sententiam opportunum duximus.

462. Simplex febris traumatica, quae ceu symptoma vulneri obtingit vel irritatione, vel dolore, vel inflammatione, vel suppuratione proxime exoritur, et aegrum invadit, ac vexat hoc modo. Illa plerumque sine frigore, et sine horrore incipit; totum corpus quadam lassitudine, et perturbatione tunc afficitur, et aestuat; succedit quidam cutis mador; caput aut dolet, aut gravatur; facies praesertim tumet, rubet intensius, et calet; sitis accenditur, et gustus depravatur; aliquando arctior, et quasi veternosus somnus, sive letargus (1), sive coma (2) aegrotum complectitur; aliquando hic vi-

---

(1) Lethargum jam apud Medicinae proceres definitum invenimus corporis torporem cum inexpugnabili pene dormiendi necessitate. Λήθαργος apud Graecos proprie significat illum, qui cito obliviscitur, et torpidus fit ex λήθη oblivio, et ἀργὸς citus.

(2) Coma κῶμα significat somnum profundum, veternosum.

giles capessit noctes; temporum arteriae admodum pulsare aspiciuntur; respiratio aegre absolvitur; pulsus est plenus, vehemens, creber, et velox, sed aequalis, satque mollis; urina a naturali non multum aliena esse consuescit, initio tamen persaepe aquea, paullatim vero rubicunda, aut alba, crassa, et turbida fit quiescendo, praesertim ubi febris attingit tertium, aut quartum diem; mador autem cutis, quem cito apparere diximus, sensim augetur, adeo ut, remittente jam febre, in plenum sudorem prorumpat.

463. Hujusmodi febris, quando una irritatione exoritur, puta ob vulnus nobiliori cuidam parti inflictum, uti ventriculo, cordi ipsi, quasi e vestigio sucitatur. Quando dolore (1), hunc usque

---

(1) Veluti traumaticae febris a dolore prognatae apertissimum exemplum habemus in illa febre, quam Giannini suscitari observavit toties, quoties catheter pertingebat ad quoddam urethrae punctum praeter prostatam. (Consul. ejus libr. *della natura delle febbri ec.* tom. I, cap. 2, pag. 108 e seg. Milano 1805.)

Quiddam similis et nobis observare contigit in chronica dysuria laborantibus, dum hi curabantur et parvae candelae, et catheteris ope. (Catheter καθετὴρ immissor a verbo καθίημι immitto, instrumentum, quod vesicam immittitur ad urinam eliciendam). Imo quandoque

crescentem protinus consequitur. Quandò inflammatione, huic aliquantulum ingravescenti contingit; proinde non nisi duos, tresve post dies ab inflicto vulnere. Quando suppuratione, serius etiam evenire potest, et tunc aliquo cum horrore ingruit, et perdurat febris. Exorta demum traumatica febris irritatione, dolore, inflammatione, suppuratione persistit ad irritationis, et doloris cessationem, ad inflammationis resolutionem, aut ad probe confectam suppurationem, quae una persaepe est veluti crisis hujusmodi febris. Quando vulneratus ob gravem commotionem animo, et corpore torpet (quod maxime contingit capitis vulneribus, et iis, quae fiunt tormentis bellicis), tunc stupidi sensus, et languidi motus accendi non sinunt febrim, quae exinde excitatur non sine bono omine tunc cum sensus, motusque reviviscere incipiunt. Quapropter traumatica febris tum serius adoritur; sed eo vehementior plerumque excitatur, quo diutius torporis periodus persistit. Quod quidem contingere

---

ab una irritatione absque dolore febrim suscitari hisce in casibus observavimus cum carissimo collega nostro Barovero, Professore meritissimo; idemque observavit praeclarus Doctor Amoretti, nobisque amicissimus. (Consul. ejus opus: *Nuova teoria delle febbri ec.* tom. I, pag. 92. Torino 1816.)

videtur ex eo, quod torporis tempore vitalis potentia quasi cumulata, et quiescens mox majori impetu in nervos cardiacos irrumpat, incitatiores arteriarum motus reddat, et ita vehementiorem cieat febrim.

464. Traumatica febris non semper ea simplicitate exoritur, incedit, desinit: complures enim caussae ejus ingenium, processum, diuturnitatem varie immutare valent. Praeterquamquod jam diximus de *epigenomenis* febribus diversis, quae vulneratos adoriri possunt, et de variis vulnerati conditionibus, quae vehementiorem accersunt febrim traumaticam, hic consideranda occurrunt contagia, miasmata *nosocomialia*, *carceralia*, *pandemica*; epidemiae praesertim castrenses; morbosae dispositiones jam vulneratum praeoccupantes; ejus animi pathemata, ejusque vitae genus: quae omnia adeo possunt, ut plerumque febris simplex traumatica vel synochae mali moris, vel synochi, vel typhi, aliarumve febris specierum characteres assumat. Nec raro observare est, illam in lentam nervosam, nempe in peculiarem typhi speciem, et in hecticam etiam febrim desinere.

465. Quo clarius pateat traumaticae febris complicata natura, pronum est nonnulla subdere de more instituti nostri. Quandoque traumaticae febri, prout nos docent observationes, co-

mitantur difficiliores respirationes, nauseae, vomitiones, alvi fluxus, tendinum subsultus a cacochyliis (1), vermibusve producta. In traumatica febre aliquoties miliaria, petechialia exanthemata fieri visa etiam sunt. Typhi (2) ingenium assumi a traumatica febri, Clinici probe norunt, quod ingenium aperiunt praesertim horrores, inquietudines, vigiliae, somni turbulenti, calor acrior, pulsus inaequales, inordinati, lingua arida, aspera, nigricans, nauseae, vomitus biliosi, foetidae alvi dejectiones, extrema virium imbecillitas, mentis functiones obnubilatae, deficientes, attoniti stupores, deliria, sopores. Tanta demum symptomatum quantitate, et gravitate aliquoties stipatur febris traumatica complicata, ut et longiorem permansionem obtineat, et in vitae discrimen aegrotum adducat, a quo discrimine non semper est in Medico, ut ille liberetur.

466. Chirurgorum maxime interest lentam ner-

---

(1) Cacochylia a κακὸς malus, vitiosus, et χύλος succus: succi nempe vitiosi.

(2) Typhi nomen jam ab Hippocrate usurpatum derivatur a graeca voce τύφος, quae ex Foesii interpretatione stuporem attonitum significat. Hujusmodi enim stupor symptoma est constans in hujusce generis febri.

vosam febrim, quam HUXAM (1) ita nominavit, et omnibus numeris pertractavit, quamque sub typhi genere comprehendit CULLEN (2), probe dignoscere, utpote quae non raro complicare potest traumaticam febrim, quae non infrequenter succedit vulneratis animo, et corpore valde commotis, praecipueque nostalgia (3) jam laborantibus,

---

(1) Consul. ejus oper. in vol. III. Lipsiae 1773.

(2) In synopsi nosologiae methodicae etc. tom. II, pag. 24. Venetiis 1788.

(3) Nostalgia a νοστέω redeo, et ab ἄλγος dolor, quasi infirmitas, aut morbus ob redeundi anxietatem.

Huic infirmitati quam qui maxime obnoxii sunt Helvetii degentes apud externas gentes, qui persaepe adeo impenso parentum, patriaeque desiderio tenentur, ut, si ad suam larem familiarem non redeant, iis moeror succedat gravis, appetitus deficiat, digestio depravetur, universa corporis constitutio laedatur, et morbi etiam graves contingant. (Vid. HOFFMANN medic. ration. system. tom. 3.)

In hanc lentam nervosam febrim saepe delabi Helvetios milites, atque in his vulneratis, et jam nostalgia laborantibus febrim traumaticam ab illa facile complicari observavi in castrensibus nosocomiis.

Quod et observavit praeclarissimus Doctor BALLARINI Augustissimi Regis nostri *Archichiriater*, classium, exercituumque Chirurgus generalis, etc.

et utpote quae sub bona caloris, et pulsus specie quasi clanculum decipere valet medentem, qui dum de febri vix suspicatur, terrificis mox excitis, exertisque symptomatibus, sopore videlicet, delirio, nervorumque distensionibus, aliisque, aegrotum enecat brevi febris illa, quae ab initio levis, placida, et periculi expers credebatur. Hujusce febris ingressum, atque progressionem leviter attingemus.

467. Primum vulneratus quodam taedio afficitur, et quodammodo quid velit, aut optet nescit; interea quasdam caloris, et frigoris vicissitudines patitur; de lassitudine conqueritur; torpore languet: quod omne contingit praeter vulneris conditionem. Post haec mox accedit in capite ponderis sensus; interdum dolor, vertigo, temporum constrictio, animi demissio; paullo post nausea, cibi fastidium sine ulla potus appetitione, vomitiones non mali ingenii succedunt. Quandoque haec omnia per aliquot horas cessant, brevi tamen graviora insurrectura, praesertim vesperascente die. Caput tum magis gravatur, incalescit, mens obnubilatur, pulsus fiunt celeriores, sed languidi semper, et inordinati, nec raro adest quaedam spirandi difficultas. Magnus saepe stupor, aut obscurus dolor, et quidam frigoris sensus occiput tenet, aut dolor gravans sinciput occupat: utraque autem doloris species

ex Burserio (1) propria fere est cujusque febris lentae nervosae, et saepissime, ne dicam semper, aliquem desipientiae gradum haec febris comitem habet. Calor plerumque mitis, nec facile excandescit. Attamen volae manuum interdum fervent, aut caput calidis vaporibus, faciesque crebro rubore suffunduntur, dum interea pedes frigescunt.

468. Progrediente febre, aegrotus pallidus, torpidus, fractus saepe ita quiescit, ut, clausis oculis, dormientis imaginem exhibeat; ipse vero non dormire sibi videtur, quia suae menti tot spectra, totque ideae certe confusae inter somnum obversantur, ut se vigilare credat. Pulsus toto hoc morbi tempore celer est, debilis, ac inaequalis, quandoque fluctuans, quandoque tardus, rarus, pariterque intermittens; subinde concitatior micat, modo sedatur, atque ordinatus, aequalisque evadit, et sic alternatim variat. Varia quoque ipsius vultus ratio est; nam hic crebro, et repente calore quodam, qui vaporis instar ascendit, rubescit, et paullo post pallet, et albicat, quo fit, ut saepe pro affectione hypochondriaca morbus a minus peritis accipiatur. Hinc malum in dies augescit, aegrotans cubili defigitur, aliena obloquitur, vere animo desipit;

(1) Op. cit. vol. I, pars alt., pag. 99.

nihil ipse postulat, nec interrogatus respondet; tendines subsiliunt, lingua fusca, et sicca apparet; urina modo limpida, modo turbida, modo subnigra emittitur. Accedunt tinnitus, et susurrus aurium. Aegrotus saepe secum obmurmurat, verba mutilata, et intellectu difficilia profert, nec sibi conscit. Virium languor usque increscit, adeo ut animi dejectiones, et syncopes eum interdum corripiant, frigido sudore facies madeat, indeque totum corpus. Pallentes, vel liventes demum ungues, pulsus parvi, ut vix percipi, et numerari possint. Profundi sopores, urina, alvi excrementa, inscio aegroto, profluentia proximam vitae dissolutionem portendunt. Spasmodici demum tremores post quatuordecim, aut viginti, aut plures etiam dies a prima febris aggressione utplurimum eam finiunt.

469. Hectica febris nominata fuit ab ἕξις habitus, ob id, quod totum corporis habitum complecti credita fuit, unde *habitualis* etiam nuncupatur. Non enim illam insistere in spiritibus, non in humoribus, uti alias febres; sed a calore praeter naturam in solidis partibus accenso, atque assidue in illis inhaerente progigni veteres Graeci crediderunt, et ab illa corpus usque consumi. Haec febris distingui solet in primariam, sive idiopathicam, quae non ab alio morbo exoritur, et in secundariam, sive symptomaticam, quae alterius morbi est veluti

symptoma. De primaria, praeterquamquod ambigitur, nostrum non est disserere. Hectica febris symptomatica ab aliqua corporis labe ortum persaepe ducit, uti a scorbuto, a lue syphilitica, a chlorosi, a strumis, a scirrho, a cancro, et ab aliis sive solidorum, sive fluidorum non sat cognitis vitiis; originem etiam accipit ab organica alicujus partis vastatione, uti pulmonum, hepatis, lienis, pancreatis, renum, omenti, uteri, ventriculi, intestinorum, mesenterii, aliarumve partium vel externarum. Haec praemittenda esse censuimus, ut aequi aestimare valeamus caussas hecticae febris, quae consequitur quaedam vulnera. Haec enim febris aut una vulneris specie, aut aliis etiam recensitis caussis exoritur.

470. Hecticam febrim distinguunt Pathologi in tres gradus: in 1.° calor est valde mitis, pulsus moderate celer, et plerumque duriusculus; urinae non multum a naturalibus alienae; in manuum volis calor est acer, et mordax; hujusce caloris, nec non pulsuum crebritatis incrementum a pastu tamquam signum fere pathognomonicum habetur, nullo praecedente horrore, aut frigore, aut alio indicio, quod novam febris accessionem praemonstret. In 2.° manifestior fit cutis ardor; vires evidentius deficiunt; sudor e superioribus partibus abunde manat; corpus magis macrescit, nihilque

alimentis reficitur; urinae prodeunt rubicundae, sedimentum dimittunt, sursum efferunt cuticulam ad caeruleum colorem vergentem, aut oleósam fusae forsan pinguedinis caussa, quae pinguedo per renes cum sanguinis sero elabitur, et lotio deinde supernatat. In 3.° totum contabescit corpus, et tanta macie extenuatur, ut ossa ubique promineant; squalleat facies; tempora collabantur; capilli defluant; oculi incaventur, et quasi defixi haereant; nares acuminentur; cutis universa exasperetur, atque arescat. Hisce rebus saepissime sudores colliquantes in primis circa pectus, collum, et caput nocturno potissimum tempore, alvi fluxus corrupti, aut putridi accedunt, quibus reliquum vitae extinguitur. Hujusmodi febris consequi solet alta vulnera pectoris praesertim, non raro abdominis, artuum etiam, et quam maxime quando vulneratus aliqua contaminatur labe. Sed animadvertere refert, hecticam febrim traumaticam in 1.° gradu non sat bene distingui a simplici febri traumatica: siquidem illa non hectica exoritur, sed potius in hecticam secundi gradus mutatur, proinde ex hujus gradus notis praecipue dignoscitur.

471. In vulnerato *epigenomena* febris dignoscitur, si licet eum adoriatur paullo post inflictum vulnus, nullo tamen modo ejus gravitas respondeat levitati vulneris, quod sit puta simplicissima

tegumentorum incisio; dignoscitur etiam, si illa vulnerato contingit post prorsus pacata vulneris symptomata, nempe jam cessata irritatione, sedato dolore, resoluta inflammatione, et bene constituta, aut confecta suppuratione; haud difficili demum negotio dignoscitur, si illa intermittentis typum confirmatum aperiat. Caeterum si *epigenomenae* febris caussa vulneratum invadat per traumaticae febris periodum, si hic jam antea aliquam proclivitatem obtinuerit ad febrim, tunc traumatica febris mutatur in complicatam, et natura, ingenium hujusmodi complicatae febris dignoscitur ex notitia caussarum, et ex varietatibus symptomatum, quae non omnino simplici febri traumaticae, sed potius alteris febris speciebus conveniunt. Simplicis autem febris traumaticae diagnosim habemus ex tradita ejus descriptione §§. 462, 463, nec non ex nuper animadversis.

472. Dum vero universa corporis constitutio gravissimis undique quatitur turbis, vulneri etiam conspicuae mutationes incurrunt; suas enim noxas in ipsum vulnus reflectit febrile incendium. Hinc, quod jam bonae indolis pus fundebat, vulnus quandoque derepente exsiccatur, mox foetidam, acrem, ichorosam materiem fusurum; quae rubicundae, vividae antea apparebant, carnes modo luridae, modo atrae fiunt; nec raro naturae opus in explendo

vulnere interturbatur, vel jam obducta cicatrix dehiscit. Tanta uno verbo tunc est vulneris perturbatio, ut ex una hujusmodi mutatione febris praesertim mali ingenii praesagiri plerumque possit. Nihilne hiç dicam de metastasibus, quae in hisce vulnerum adjunctis aegrotum non infrequenter ad citissimum lethum traducunt? Licet hujusmodi varie complicatas febres persequi vetet nostri instituti ratio; attamen si adumbratas caussas, symptomatum varietates, febrisque aggressionem, progressum, diuturnitatem respiciat Chirurgus, qui febrium scientiam, morborumque febrilium non prorsus ignoret, illas non tam difficile discernere valebit, et praehabita, si casus sinit, Medici consultatione, uterlibet tunc eas apte curare ex communi sententia, concordique animo poterit.

XII. ORDO.

EFFLORESCENTIAE.

473. Efflorescentiae, graece exanthemata (1), dicuntur peculiares morbi, qui in summa cute apparent: alteri ex hac perinde erumpunt; alteri in

---

(1) Exanthema ἐξάνθημα ab ἐξ ex, et ἄνθος flos. Hinc efflorescentia.

ipsam introducuntur. Efflorescentes morbi aut sunt pyretici, aut apyretici, febriles nempe, aut non febriles: utrique vero vel communicabiles, vel non. Primo horum omnium praecipuos indicabimus quoad formam, secundo quoad essentiam.

Quoad formam.

474. Phlyctena (1) est vesicula serosa, distenta, pellucida, ad basim inflammata: rupta dolet, et subflavum, rubicundum, aut atrum humorem, non raro mala olentem spargit.

475. Pustula (2) est vesicula purulenta, turgens, dehiscens, et pus effundens.

476. Hydatis (3) est vesicula prorsus pellucida absque ullo inflammationis indicio: disrupta limpidum serum, aquulam fundit.

---

(1) Phlyctena φλύκταινα pustula, sed apud recentiores phlyctenae nomen speciatim dicatum est illiusmodi pustulae. Φλύκταινα vox est derivata a verbo φλύω ferveo, ebullio. Hinc phlyctenae quasi ferventes pustulae.

(2) Pustula, porrigo, papilla, verruca, clavus, varus, tinea, variola, varicella, rubeola, vaccina vocabula sunt latina.

(3) Consul. §. 349 nota 10, et 422.

477. Papula est tuberculum farctum, coloratum, non suppurationi, sed desquamationi pronum.

478. Verruca est extuberatio dura, scabra, sicca, indolens utplurimum.

479. Clavus est verruca callosa, in tendinibus persaepe radicata, interdum ad basim dolens.

480. Myrmecium (1) est verruca madida, mollis, epidermide denudata.

481. Ephelis (2), sive lenticula est asperitas quaedam referens duritiem malae speciei praesertim in facie, et quodammodo figuram, atque colorem lenticulae.

482. Porrigo est copia squamularum, quae inter pilos a cute resolvuntur, interdum madidae, multo saepius siccae.

483. Varus est tuberculum exiguum, durum, fere callosum, dispersum, multiplex, quod in facie praesertim exurgit, nec non in manu.

---

(1) Myrmecium *μυρμήκιον* phalangis genus. *Μυρμήκιαι* verrucae quaedam. *Μυρμηκιάω* infestor myrmeciis, sive verrucis. Hae voces omnes derivandae sunt a *μῦρμος* formica.

(2) Ephelis *ἔφηλις* macula ex ustione solis ex *ἐπὶ* et *ἥλιος* sol.

484. Scabies (1), graece ψώρα, est sui generis morbus, cujus characterem designant pustulae saepe suppurantes, contagiosae, manibus insidentes, praesertim inter digitos.

485. Lepra (2) morbus etiam est sui generis, sed *constitutionalis*, cujus characterem patefaciunt per faciei cutem praecipue diffusae pustulae callosae, scabiosis majores, pruriginosae, contagiosae, dehiscentes in ulcuscula, et rhagades, quae foetidum, et acrem ichorem fundunt, nec raro illis consociantur lividae, aut nigrae maculae.

486. Tinea sui generis est persaepe morbus, cujus characterem constituunt ulcuscula in capillorum bulbis obsidentia, et crustis flavis cineraceis obtecta. Pro tineae specie haberi potest crusta lactea apud nos *ruffa* dicta, ab Italis vero *lattime.*

487. Herpetes (3), nempe exilissimi tumores

---

(1) Scabies, vox latina a verbo scalpo deducta, quia ad scalpendum invitat, cogit. Idem fere valet graeca vox ψώρα, quae manat ex verbo ψαίρω frico.

(2) Lepra λέπρα, a λεπρὸς scaber.

(3) Herpes ἕρπης ab ἕρπω serpo, quia hic morbus per corpus serpit.

rubri in qua data parte, aut late per totum corporis ambitum efflorescentes, aggregati, pruriginosi, et in squamas furfuraceas, non raro in crustas abeuntes peculiarem, et pertinacissimum constituunt morbum. Gutta rosea est herpetis species, cujus notas habemus in rubris maculis faciei guttatis, parum extantibus, sed asperis, et permanentibus.

488. Plica, graece trichoma (1), est sui generis morbus *constitutionalis*, et sistens praesertim in capillis, nec non in pudendorum pilis crassioribus, sanguine rorantibus, dolentibus, in nodos, funiculos, et cirros indissolubili modo implicatis. Isti pili abunde etiam sanguinolentum fundunt humorem, si subsecentur, ex quo aliquando vel mors succedit. Ita apud plerosque medicinae auctores descriptum invenimus morbum istum in Poloniae plagis endemicum; sed circa hujusmodi morbi veracitatem, donec nos certiores fiamus,

(1) Plica vox est latina a Nosologis usurpata ad significandum quemdam morbum, in quo capilli plicantur, intricantur. Trichoma τρίχωμα vox est detorta de θρὶξ τριχὸς pilus pili: apud Graecos valet capillitium, et apud Nosologos peculiarem capillitii morbum.

sufficiat nostra gravia dubia cum nonnullis gravibus auctoribus praenuntiare (1).

489. Pellagra (2) est peculiaris morbus *constitutionalis*, chronicus, non fortasse contagiosus, cujus natura dignoscitur a conjunctis hisce characteribus, nempe a corporis lassitudine, animi taedio hypochondriasim aemulante, a tussi, angina, cephalalgia, vertigine, totiusque vitalis oeconomiae labe, a subrubris, et scabris maculis in anteriori colli et pectoris parte, in manuum, et pedum dorso efflorescentibus, comite ardoris sensu. Istae maculae dehiscunt, ejus epidermis in squamas decidit, et aegre partis dermis fit oedematosa. Hic morbus autumno, vel hyeme se prodit, adventante vere increscit, adulta aestate recedit iterum rediturus; licet nulli sexui, nulli aetati, nullis hominum conditionibus parcat, frequentius tamen inexercitos homines, foeminasque mollem vitam degentes, agricolas, et quidem egentiores, ac uda loca incolentes adgreditur.

---

(1) Consul. diction. Scient. Medic. sub voce *plique*.

(2) Pellagra, ad significandum novum forsan morbum, novum pariter nomen instar podagrae nominis compositum, nempe ex pelle, latina voce, et a graeca ἄγρα captura.

490. Variola est febrilis, contagiosa, saepissime epidemica eruptio pustularum phlegmonoidearum, suppurantium, in crustam, deinde in cicatricem sponte abeuntium, quae pustulae per totum corpus sparsae, aliquando confluentes, escharoticae, et nigrae fiunt, quod pessimum est, et depressas cicatrices, sive foveolas relinquunt. Variolae praeludium patefaciunt cephalalgia, nausea, vomitus, lumbago, et febris continua inflammatoria: pustulae tertio die ab ineunte morbo erumpere incipiunt, quinto desinunt, octavo autem earum suppuratio conficitur; deinde crustae, postremo cicatrices rubido colore adhuc maculatae remanent. In variola proinde quatuor tempora considerari queunt: scilicet primum contagii, secundum eruptionis, tertium inflammationis, et suppurationis, quartum exsiccationis. Hic morbus semel tantum in vitae curriculo hominem utplurimum invadit.

491. Varicella, variolae prorsus affinis morbus, post brevem febriculam se prodit in pustulas vix suppurantes; sed potius in squamas absque cicatricis indicio desinentes.

492. Rubeola variolae etiam affinis post coryzae, sternutamenti, epiphorae, tussis siccae, raucedinis, et febris praeludium se prodit in papulas rubras, exiguas, confertas, vix eminentes, et tribus diebus in squamulas furfuraceas abeuntes.

493. Vaccina variola, Britannorum sermone *Cow-pox*, nusquam gentium forsan cognita, nisi in Britannia, vertente saeculo XVIII, est sui prorsus generis contagiosus morbus. Jenner insignis medicinae doctor, et jam aeternae memoriae commendatus, variolam vaccinam primitus in Claudiorum Castrorum provincia (Glocester) ceu humanae variolae mitissimum antidotum detexit, et observationibus, ac experimentis suffultus promulgavit (1). Humana igitur variola ut praecaveatur, vaccinae contagium inoculatur. Hinc a quarto die in puncto inoculationis rubella fit cutis, et tumidula; a sexto pustula se prodit in centro depressa, adeo ut vesiculare albidum supercilium depressionem circumdet, et rursus zona phlegmonosa totam pustulam circumeat; ab octavo levis *constitutionalis* perturbatio, raro febricula, et in pustula prudor, aut quaedam levis molestia suscitatur; a nono zona phlegmonosa magis incenditur, et *constitutionalis* perturbatio aliquantulum increscit; a decimo omnia mitescunt, et vesiculare pustulae supercilium affluit seroso limpido humore, et ita confecta pustula

(1) Vaccina, divinum illud inventum, nunc temporis per omnes populos propagata est. Rex noster Augustissimus munificentia vere Regia eam promovit, et auxit. (Consul. Regium diploma, instituta etc. ad hanc rem).

maturitatis tempus attingit, ejusque serosus limpidus humor novae inoculationi aptissimus evadit; ab undecimo ad decimum quartum diem maxime conspicua usque fit morbi declinatio, pustula exsiccatur, et in obscuram crustam convertitur, quae vigesimo circiter die decidit, et depressam cicatricem relinquit. Hic est normalis in homine processus vaccinae, quae ideo verae nomen obtinet; praecox autem, non serotinus ejus processus spuriam, et quidem prophylactica virtute destitutam vaccinam constituit, uti constanter succedit, si vel verae vaccinae contagium hominibus inoculetur, qui jam variolam sive humanam, sive vaccinam sint passi.

494. Scarlatina (1) est contagiosa febrilis eruptio macularum, et papularum rubrarum, latarum, prurientium, haud uniformium, coëuntium, et in squamulas furfuraceas a tertio, vel quarto die abeuntium. Hic morbus non raro secunda, et tertia vice se recondit, et prodit, nec raro huic succedit hydrocele, et anasarca.

495. Pemphigus (2) est contagiosa febrilis cru-

---

(1) Scarlatina, a *scarlatto* italo nomine, latine panno purpureo, coccineo.

(2) Pemphigus a πέμφιξ ιγος flatus, quia haec febris flatulenta, spiritualis credebatur, a qua illas pustulas produci existimabat GALENUS.

ptio vesicularum avellanae magnitudinem aequantium flavo sero, vel ichore turgentium, quae vesiculae per plures dies permanent, dein humorem fundunt, et tandem in crustas, et squamas finiunt.

496. Petechia (1) est quoque contagiosa febrilis eruptio macularum pulicum morsui similium cum magnitudine, tum colore; interdum tamen lividarum, aut nigrarum.

497. Urticaria est febrilis plerumque eruptio macularum subtumidarum, rubentium, pungentium, brevique fugacium, uno verbo illis prorsus similium, quae ab urticationibus producuntur.

498. Miliaria est febrilis eruptio prurientium, aut pungentium papularum magnitudinem seminis milii aequantium, rubrarum, discretarum, crebrarum, per totum corpus, facie excepta, diffusarum, et brevi in albidas pustulas abeuntium, comite (a morbi initio) anxietate, frequenti suspirio, atque olente sudore.

XIII. ORDO.

NEUROSES.

499. Neurosium ordo comprehendet morbos, qui nerveum systema speciatim afficiunt plerumque

---

(1) Petechiae, peticulae nomina sunt unice pathologica.

absque febre idiopathica, et morbo *locali*: videlicet 1.° molestas aegritudines, et dolorificos morbos peculiaribus nominibus donatos; 2.° voluntarios musculorum motus abnormes; 3.° organorum actiones depravatas; 4.° viscerum tum animalium, tum vitalium, tum naturalium functiones perturbatas.

1.° *Molestae aegritudines, et dolorifici morbi peculiaribus nominibus donati.*

500. Nos molestas aegritudines, et dolorificos morbos primum recensemus, indeque definiemus:

Anxietas.	Pruritus.
Lassitudo.	Algor.
Stupor.	Ardor.
Dolor.	Tormina.
Cephalalgia.	Colica.
Cephalea.	Cholera.
Hemicrania.	Hepatalgia.
Otalgia.	Splenalgia.
Odontalgia.	Nephralgia.
Neuralgia facialis.	Hysteralgia.
Gastrodynia.	Lumbago.
Pyrosis.	Ischias.
Cardialgia.	Podagra.

501. Anxietas est quaedam molestia, quae aegrum ad assiduam loci mutationem cogit, et somnum

vel praepedit. Praepeditus autem somnus graece dicitur agrypnia (1).

502. Lassitudo est molesta quaedam juncta cum generali debilitate invaletudo, quae ad quietem aegrum suadet virium reparandarum gratia.

503. Stupor partialis est molestia sensum tactus obscurans; universalis vero est quaedam sensuum, et mentis alienatio.

504. Pruritus est levis mordicationis sensus, qui ad scalpendum invitat.

505. Algor est sensus ingratus ceu a summo aëris frigore productus.

506. Ardor contra est molestus sensus quasi a summo aëris calore excitus.

507. Dolorem, qui non definitus forsan melius intelligitur, definire audemus corporis cruciatum; vel cum Cicerone motum asperum in corpore a sensibus alienum. Multimodis autem illum definire possemus, si innumeras ejus explicationes a Philosophis traditas attendere velimus.

508. Cephalalgia (2) est non diuturna capitis gravedo cum dolore.

---

(1) Agrypnia ἀγρυπνία ex α particula negativa, et ὕπνος somnus, pleonasmo γρ.

(2) Cephalalgia a κεφαλὴ caput, et ἄλγος dolor.

509. Cephalea (1) vero est cephalalgiae species admodum diuturna, quasi chronica.

510. Hemicrania (2) est vehemens capitis dolor internus in alterutro latere, sed potissimum ad tempora, ad oculos, ad frontem, ad occiput.

511. Otalgia (3) dicitur interni auris dolor, qui, sicuti jam Celsus adnotavit, interdum ad dementiam praecipitat.

512. Odontalgia (4) appellatur dentium, maxillarumque dolor adeo excrucians, ut ptyalismum, et vigilias producat.

513. Neuralgia (5) facialis (*tic douloureux* Gallorum) est quidam impetus dolorificus faciem invadens plerumque hoc modo: ineunte morbo vel torporis, vel formicationis sensus protinus suscitatur; mox dolor succedit acutus, lancinans, divellens, saepe pulsans, per paroxysmos periodicos, vel abnormes, breves, aut diutinos, crebros, aut raros revertens sine rubore, calore, tumore ten-

---

(1) Cephalea V. cephalalgia.

(2) Hemicrania ab ἥμισυ dimidium, et κρανίον cranium.

(3) Otalgia ab οὖς ὠτὸς auris, et ἄλγος dolor.

(4) Odontalgia ὀδοὺς ὀδόντος dens dentis, et ἄλγος dolor.

(5) Neuralgia a νεῦρον nervus, et ἄλγος dolor.

sione aegrae partis. Facialem istam neuralgiam dividunt Nosologi in frontalem, in infraorbitalem, et in maxillarem.

514. In neuralgia frontali trifacialis nervi ramus, nervus orbito-frontalis dictus, ejusque frontales ramusculi praesertim afficiuntur dolore, qui saepe a superciliari foramine ad frontem, palpebram superiorem, supercilium, carunculam lacrymalem, internum oculi angulum, aliquando ad totum faciei latus propagatur.

515. In neuralgia infraorbitali alterius trifacialis nervi ramum, submaxillarem vocatum, ejusque in primis surculos infraorbitales aggreditur dolor, qui ab infraorbitali foramine utplurimum ad genam, zygoma, oculi canthum, labium superius, narem ejus lateris protenditur; aliquando ad superiores dentes, sinum maxillarem, palatum, uvulam, linguae basim; tandem ob varias nervorum anastomoses ad totum proserpit faciei latus, et ad aures usque. Hinc aliquando salivae, nasalis muci morbosa excretio, labiorum spasmus, loquendi difficultas, intolerabilis otalgia, etc.

516. In neuralgia maxillari tertium trifacialis nervi ramum, maxillarem inferiorem nuncupatum, invadit dolor, qui a menti foramine ad totum mentum, et ad labia progreditur; quandoque etiam juxta maxillarem ductum ad dentes, ad tempora,

et linguae latera. Haec autem neuralgiae facialis species caeteris rarior, saepiusque abnormis est.

517. Gastrodynia (1) generatim vocatur quicumque notabilis, et assiduus dolor in ventriculi regione.

518. Pyrosis (2) dicitur urens epigastrici dolor cum humoris aquei vel insipidi, vel acris eructatione sociatus.

519. Cardialgia (3) est quaedam ventriculi molestia syncopem minitans.

520. Tormina dicuntur vagi per internum abdominem dolores.

521. Colica (4) est quaedam invaletudo, vel etiam admodum infensus morbus abdomen cruciatibus, atque doloribus extorquens, praecipue circa umbilicum cum vomitu, alvoque adstricta.

522. Cholera (5) est colicae species, in qua biliosus humor et evomitur, et dejicitur; anxietate torminibus, ac spasmis surarum etiam stipatur.

---

(1) Gastrodynia a γαστὴρ venter, ventriculus, et ὀδύνη dolor.

(2) Pyrosis incendium a πυρόω igne uro.

(3) Cardialgia a καρδία proprie cor, sensu vero translato superius ventriculi ostium ob id, quod cordis apici respondet, et ab ἄλγος dolor.

(4) Colica a κῶλον intestinum, quod sumitur etiam pro alvo.

(5) Cholera χολέρα a χολὴ bilis.

523. Hepatalgia (1) dicitur quicumque molestus affectus gravitatis, et tensionis sensu comitatus in hepatis regione.

524. Splenalgia (2) idem est in regione splenis.

525. Nephralgia (3) est dolor fixus in regione renum, et ureterum.

526. Hysteralgia (4) est dolor in regione uteri.

527. Lumbago appellatur obtusus plerumque dolor lumborum, qui corporis inclinationem, et novam erectionem praepedit.

528. Ischias (5) dicitur dolor ferme assiduus regionis ischiadicae, coxendicis, et capitis femoris, nec non reliqui artus inferioris. Hinc standi, sedendi, gradiendi difficultas; claudicatio, artus stupor, dejectionesque difficiles, et laboriosae. Ischiadem dividunt Nosologi in veram, seu posticam, scilicet occupantem nervum *ischiadicum*, et in falsam, seu anticam, nervo nempe crurali insidentem: in prima specie dolor ab incisura ischiadica juxta externum coxae, et cruris latus ad externam dorsi

---

(1) Hepatalgia ab ἧπαρ hepar.

(2) Splenalgia a σπλὴν splen.

(3) Nephralgia a νεφροὶ renes.

(4) Hysteralgia ab ὑστέρα uterus.

(5) Ischias ab ἴσχιον coxa.

pedis partem propagatur : aliquando tamen a pede ad femur dolorem retrogredi observatum fuit. In secunda specie ab inguine ad anticam femoris regionem internum surae latus, internum malleolum, nec non dorsi pedis partem internam dolor protenditur.

529. Podagra (1) est prorsus peculiaris inflammatio membranarum fibrosarum, ut ajunt, haereditaria plerumque caussa exoriens; quae caussa ad provectam usque virilitatem saepissime silet, quando praeeunte plerumque mala ventriculi affectione suos exerit effectus, et morbus ingruit. Ineunte igitur morbo dolor quidam suscitatur in nodis pollicis pedis; exinde saevi dolores excruciant articulationes fere omnes, nec non alias partes, et saepenumero per paroxysmos revertunt podagrici dolores. Idem morbus dicitur chiragra (2) quando manus vexat; gonagra (3) quando genua : sive podagra, sive chiragra, sive gonagra raro muliebrem, frequentissime virilem sexum excruciat. Quum podagra ne nostris quidem temporibus sit medicabilis, nos adhuc Ovidii (4) dolore dolere possumus.

» Tollere nodosam nescit medicina podagram.

---

(1) Podagra ex πȣ̃ς ποδὸς pes pedis, et ἄγρα captura.

(2) Chiragra ex χεὶρ manus, et ἄγρα captura.

(3) Gonagra ex γόνυ genu, etc.

(4) Ex Pont. lib. 1, epist. 3.

2.° *Voluntarii musculorum motus abnormes, sive spasmi.*

530. Nos morbos in hisce abnormibus motibus consistentes primum recensemus, indeque definiemus.

Paralysis.	Catochus.
Tremor.	Trismus.
Crampus.	Convulsio.
Raphania.	Chorea.
Tetanus.	Sardiasis.
Opisthotonus.	Gelasmus.
Episthotonus.	

531 Paralysis (1) sistit in motibus musculorum deficientibus, eaque persaepe cum aegrae partis stupore conjungitur. Ejus species sunt paraplegia (2), et hemiplegia (3): haec est paralysis utriuslibet lateris; illa paralysis est dimidii corporis transversim sumpti.

532. Tremor est alicujus artus celeris, et assidua concussio.

---

(1) Paralysis παράλυσις resolutio, nempe nervorum, a παραλύω resolvo.

(2) Paraplegia / Paraplexia } a παραπλήσσω percutio.

(3) Hemiplegia / Hemiplexia } ex ἡμίσεια dimidia, et πλῆξις percussio, scilicet dimidii corporis percussio.

533. Crampus est fugax dolorifica alicujus musculi spastica rigiditas.

534. Raphania (1) est spastica articulorum contractio cum agitatione convulsiva, dolore violentissimo, periodico.

535. Tetanus (2) dicitur totius corporis, aut solius cervicis spastica (3) distensio.

536. Opisthotonus (4) dicitur hujus generis distensio, qua corpus in posteriora curvatur.

537. Emprosthotonus, seu episthotonus (5) hujus etiam generis distensio est, qua vero corpus in anteriora curvatur.

---

(1) Raphania fortasse ex ῥάφανος raphanus, sat nota stirpe, quia ejus folia admodum prodesse morbis articularibus credita sunt, uti eruitur ex Hippocratis lib. II. de diaeta n.° 14. Versio Jani Cornarii, edit. Venet. 1737.

(2) Tetanus τετανὸς extentus, a verbo τείνω tendo.

(3) Spasticus pro spasmodico adjectivus derivatur a spasmo. Spasmus latine convulsio, nervorum distensio, graece σπασμὸς a verbo σπάω traho. Spasmi nomen a nuperis Pathologis generico tantum sensu usurpatur.

(4) Opisthotonus ex ὄπισθεν retro, et τόνος tensio.

(5) Emprosthotonus ἐμπροσθότονος ex ἔμπροσθεν ante, et τόνος tensio. Episthotonus ex ἔπισθεν barbara voce, quae valet ante, et τόνος tensio.

538. Catochus (1) est tetanus quasi generalis sensim factus sine dyspnoea, sine pectoris agitatione.

539. Trismus (2) est spastica rigiditas maxillae inferioris.

540. Convulsio est spastica, et violenta artuum agitatio cum sensuum integritate.

541. Chorea est quaedam convulsio aemulans gesticulationes, saltationes, plerumque puberes utriusque sexus adoriens.

542. Sardiasis (3) est spasmus musculorum facie, et oris, quo in obliquum labia torquentur, adeo ut sardiasis quasi aemuletur risum, quem sardonicum etiam vocant.

543. Gelasmus (4) est risus involuntarius, sub quo animus non gaudio, sed moerore plerumque afficitur.

3.° *Organorum actiones depravatae.*

544. Has quoque primum numerabimus, dein definiemus.

---

(1) Catochus κάτοχος, qui re aliqua firmiter detinetur ex κατὰ de, et ἔχω teneo: unde κατέχω detineo.

(2) Trismus τρισμὸς stridor, a τρίζω strido: qui enim hoc morbo corripiuntur dentibus strident.

(3) Sardiasis, risus convulsivus ita dictus ab herba sardonia, graece σαρδῶα, σαρδονία, quae sua malignitate hanc convulsionis speciem producere credita est.

(4) Gelasmus a γελάω rideo.

Auditus.

Dysechea.
Paracusis.
Cophosis.

Visus.

Vertigo.
Caligo.
Diplopia.
Hemalopia.
Nyctalopia.
Myopia.
Presbytia.
Amaurosis.

Olfactus.

Anosmia.

Gustus.

Agheustia.

Deglutitionis.

Dysphagia.
Hydrophobia.

Tactus.

Anesthaesia.

Vocis, et loquelae.

Mutitas.
Aphonia.
Paraphonia.
Psellismus.

545. Dysechea (1) est auditus difficilis, et gravis.

546. Paracusis (2) est auditus perturbatus.

547. Cophosis (3) surditas est auditus abolitus.

548. Vertigo est visio objectorum moventium quasi in gyrum, dum ista reapse quiescunt.

549. Caligo est visus obscurus.

550. Diplopia (4) est visus unius objecti duplicati, aut multiplicati.

551. Hemalopia (5) est visus unius objecti dimidiati, dum integrum est.

552. Nyctalopia (6) est visus nocturnus, scilicet visus, qui non nisi noctu obtinetur.

553. Myopia (7) est visus, quo propinqua cernuntur, sed remota parum, aut nihil.

---

(1) Dysechea a δυσηχὴς horrisonus. Ex δὺς aegre, male, et ἦχος sonus, quasi aegre percipiat sonos, qui hoc morbo laborat.

(2) Paracusis a παρακέω perperam, non bene audio.

(3) Cophosis κώφωσις surditas.

(4) Diplopia ex διπλῦς duplex, et ὢψ ὠπὸς visus.

(5) Hemalopia ex ἡμίσεια dimidia, et ὂψ etc.

(6) Nyctalopia ex νὺξ νυκτὸς nox noctis, et ὂψ etc.

(7) Myopia ex μύω occludo, et ὄψ visus; qui enim myopia laborant, ut videant, palpebras pene occludunt. Hi a Latinis dicuntur lusciosi.

554. Presbytia (1) visus est, quo remota cernuntur, sed propinqua parum, aut nihil.

555. Amaurosis (2) est visus imminutus, vel prorsus abolitus sine apparenti oculi vitio; plerumque cum pupilla dilatata, ac immobili. Hic oculi morbus ab Arabibus dictus etiam fuit gutta serena: gutta forsan ob id, quod produci credebatur a catarrhi gutta de pituitaria in oculum delapsa, siquidem credebatur etiam gutta, sive podagra produci quasi a catarrhi gutta in artum delapsa; serena vero, quia in hoc morbo nihil pelluciditatis oculus amittit.

556. Anosmia (3) dicitur olfactus abolitus, aut imminutus.

557. Agheustia (4) dicitur gustus abolitus, vel imminutus.

558. Dysphagia (5) dicitur molesta, aegra deglutitio.

---

(1) Presbytia a πρεσβύτης senex. Quasi visio senum propria, qui dissita commodius vident.

(2) Amaurosis ἀμαύρωσις latine obscuritas.

(3) Anosmia derivatur ex α particula negativa, et ὀσμὴ olfactus, ac si diceremus sine olfactu.

(4) Agheustia ex α, et γεῦσις gustus.

(5) Dysphagia ex δὺς aegre, male, et φάγω comedo.

559. Hydrophobia (1) dicitur potionis cujuslibet aversatio talis, ut una liquorum idea immanes excitet convulsiones in pharynge praesertim. Hydrophobia aut simpliciter nervosa, aut rabiosa est, scilicet proveniens a morsu animalis rabie affecti. Rabiem nos intelligimus peculiarem morbum contagiosum in canibus vulgatum, cujus praecipua symptomata sunt effroena mordendi libido, et aquae horror, nempe hydrophobia.

560. Anaesthesia (2) proprie significat sensus privatio: Pathologi vero anaesthesiae nomen usurpant praesertim ad tactus sensum imminutum, vel abolitum denotandum.

561. Mutitas est absoluta impotentia edendi voces articulatas.

562. Aphonia (3) est suppressa edendi vocales sonos facultas. Hinc inter mutos, et aphonos hoc discrimen est, quod illi vocem non articulatam edere valent, hi ne vocem quidem.

563. Paraphonia (4) est vocis sonus depravatus.

---

(1) Hydrophobia ex ὕδωρ aqua, et φόβος timor, metus.

(2) Anaesthesia ex α, et αἴσθησις sensus. Unde sensus expers ἀναίσθητος.

(3) Aphonia ex α, et φωνὴ vox.

(4) Paraphonia ex παρὰ praeter, quae in verborum compositione saepe in malam partem accipitur, nempe

564. Psellismus (1) est quasdam syllabas, litterasve pronunciandi impotentia, seu potius linguae haesitantia.

4.° *Viscerum functiones perturbatae.*

565. Has pariter numerabimus, dein definiemus.

Animales.

Apoplexia.	Delirium.
Catalepsis.	Melancholia.
Epilepsia.	Mania.
Hypochondriasis.	Dementia.
Antipathia.	Fatuitas.
Nostalgia.	Somnambulismus.

566. Apoplexia (2) est subita animalium functionum cessatio, veluti profundissimum aemulans somnum, cum rhoncis, et magno pulsu.

567. Catalepsis (3) est pariter subita animalium

---

pro vitiose, male, et φωνὴ vox, unde vitiosa mala vox.

(1) Psellismus a graeco verbo ψελλίζω balbutio, unde ψελλὸς balbus.

(2) Apoplexia ab ἀποπλήσσω attonitum reddo.

(3) Catalepsis κατάληψις ex κατὰ de, et λαμβάνω capio, prehendo: hic enim morbus invasoris instar corpus aegri deprehendit.

functionum cessatio cum pulsu, et respiratione pacatis. Aeger catalepsi correptus vigilantis formas retinet, situm, ac positum servat, in quo erat, dum morbus illum invadit; artus insuper habet mire flexiles, et aptos ad suscipiendas, et retinendas quasque positiones.

568. Epilepsia (1) est sensuum, ac mentis oppressio, cessatio modo subita, modo aliquo prodromo (2) praenuntiata, cui derepente succedunt corporis lapsus, violentae convulsiones; indeque os spumam agit. Epilepsiae paroxysmi per quinque, vel viginti temporis minuta durant, mox subsequuntur, mox quasi statis periodis revertunt.

569. Hypochondriasis (3) dicitur quidam chronicus affectus metu, moestitia, languore sistens,

---

(1) Epilepsia ab ἐπιλαμβάνομαι invado; quia hic morbus ita invadit, et opprimit sensus, ut a mortuis parum abfuisse epileptici veteribus visi sint. Epilepsia a Latinis vocabatur morbus comitialis ob id, quod interrumpebantur comitia, quoties aliquis hoc morbo corripiebatur. Hic morbus alio nomine dicebatur sacer, et major propter ejus gravitatem.

(2) Prodromus πρόδρομος praecursor.

(3) Hypochondriasis ex ὑπὸ subter, et χόνδρος cartilago: quasi morbus vexans hypochondria, nempe abdominis regionem sub costarum cartilaginibus positam.

et quasi hypochondria vexans ob non sat notas plerumque caussas; sed quasi melancholico temperamento proprius.

570. Antipathia (1) est quorumdam objectorum tanta aversatio, ut vel ex una eorum idea aeger patiatur mala.

571. Nostalgia (2) est parentum, patriaeque adeo vehemens desiderium, ut voti non compos in morbos vel graves incidat.

572. Delirium est mentis alienatio non diuturna, ceu alicujus idiopathici morbi symptoma. Veluti delirii phaenomenum habemus carphologiam, nempe inscios manuum motus, quo aegri floccos evellere, muscas venari, paleas colligere videntur. Carphologiae vox detorta est a verbo καρφολογεῖν paleas legere, quod constat ex κάρφος palea, et λογεῖν legere.

573. Melancholia (3) dicitur circa singulare ob-

---

(1) Antipathia ex ἀντὶ contra, et πάθος *passio*, videlicet repugnantia, aversatio, cui opposita est sympathia, *compassio*, consensus.

(2) Vid. pag. 292, nota 3.

(3) Melancholia ex μέλας ater, et χολὴ bilis, sicuti ab atra bile progigni credita est.

jectum mentis, alienatio meditatione, et moerore consociata.

574. Mania, graeca vox, latine insania, est universalis alienatio mentis sive placida, sive furibunda.

575. Dementia est adventitia mentis affectio, ob quam insanus ad ratiocinandum prorsus ineptus evadit, adeo ut nec ferox, nec meditabundus, nec cogitans, nec delirans; sed de nihilo sollicitus cantillet, rideat, nugetur. Pro dementiae specie haberi potest amnestia (1), nempe memoriae amissio.

576. Fatuitas, stóliditas, stupiditas, insipientia, *crétinisme* Gallorum ferme idem significant, nempe congenitam dementiam.

577. Somnambulismus (2) est ea somniantium affectio, ob quam a lecto exsurgunt, quaedam vigilantium munera exequuntur, ac saepe diversis periculis se se exponunt.

Vitales.

Ephialtes.	Rhoncus.
Palpitatio.	Sternutatio.
Singultus.	Anhelatio.

---

(1) Amnestia ἀμνηστία ex α particula privativa, et μνῆστις memoria.

(2) Somnambulismus a somno, et ambulo.

Tussis.	Syncope.
Dyspnoea.	Lipothymia.
Asthma.	Asphyxia.

578. Ephialtes (1) graeca vox, latine incubus, nostro idiotismo *carcaveja*, somniantium affectus est molestissime infestans forte dumtaxat dormientes in dorso, quum scilicet externa quaedam vis in quiescentes videatur invadere, ob quam anhelatio admodum incommoda, querimoniae necessitas, et hujus praepedimentum succedunt.

579. Palpitatio est cordis, arteriae, musculi vehemens, atque abnormis agitatio temporaria.

580. Singultus est interrupta a subita diaphragmatis concussione inspiratio, cui sonora expiratio succedit, et utraque alternatim recurrit.

581. Rhoncus (2) est sonora, et rauca respiratio dormientium utplurimum.

582. Sternutatio dicitur aëris expiratio sonora, subitanea, ac impetuosa, sic ut nullus, dum sternutamus, artus certam firmitatem retineat.

583. Anhelatio est citatissima, et levis respiratio.

---

(1) Ephialtes ἐφιάλτης ab ἐφιάλλομαι insilio; nempe ex ἐφὶ pro ἐπὶ in, et ἄλλομαι salio.

(2) Rhoncus a ῥέγχω sterto.

584. Tussis est subita, et valida expiratio sonora ad pulmones, bronchia, tracheam, laryngem liberanda ab aliqua molestia.

585. Dyspnoea (1) est difficilis respiratio. Orthopnoea (2) ejus species est, in qua respiratio non absolvitur, nisi erecta cervice.

586. Asthma (3) est difficilis respiratio sibilans, et stertens.

587. Syncope (4) est subita vitae defectio ob imminutum, aut quasi quiescentem cordis motum. Hinc frigus, pallor, sensuum obscuritas, etc.

588. Lipothymia (5), et asphyxia (6) a syncope non differunt, nisi ob id, quod lipothymia est syncope levior, asphyxia gravior.

---

(1) Dyspnoea en δὺς aegre, et πνέω spiro.

(2) Orthopnoea ex ὀρθὸς erectus, et πνέω spiro.

(3) Asthma ἆσθμα ab ἀσθμαίνω spiritum difficulter traho.

(4) Syncope a συγκόπτω concido, quasi vitae concisio.

(5) Lipothymia ex λείπω linquo, et θυμὸς animus, videlicet animi deliquium.

(6) Asphyxia ex α particula negativa, et σφύξις pulsus, quasi sine pulsu.

Naturales

Dyspepsia.	Ruminatio.
Anorexia.	Hysteria.
Bulimia.	Satyriasis.
Pica.	Nymphomania.
Adipsia.	Priapismus.
Polydipsia.	Anaphrodisia.

589. Dyspepsia (1) est tarda, et difficilis ciborum digestio.

590. Anorexia (2) est ciborum appetitio deficiens.

591. Bulimia (3) est immodica ciborum appetitio.

592. Pica (4), seu malacia stomachi est consuetorum ciborum aversatio; verum insuetorum, et insalubrium aviditas.

---

(1) Dyspepsia ex δὺς aegre, et πέψις digestio.

(2) Anorexia ex α particula privativa, et ὄρεξις appetitio.

(3) Bulimia βȣλιμία ex βȣ̃ particula, quae quid magni indicat in compositione, et λιμὸς fames. Hinc bulimia magna fames.

(4) Pica avis hoc depravato appetitu quandoque laborat: a Graecis dicitur κίττα, seu κίσσα cum avis, tum morbus.

593. Adipsia (1) est potionum appetitus deficiens.

594. Polydipsia (2) est potionum appetitus immodicus.

595. Ruminatio dicitur quaedam rara hominum affectio morbosa, ob quam a ventriculo alimenta, voluntate invita, ad os iterum ascendunt, et denuo manduntur. Ruminatio bovum est naturalis functio sic dicta a rumine, uno ex istorum animalium ventriculo.

596. Hysteria (3) est quaedam mulierum mala affectio ab ὑστέρα utero dicta, in qua murmurant intestina; percipitur sensus globuli ab imo ventre ad fauces ascendentis, et strangulantis; convulsiones suscitantur; urina redditur aquosa, limpida, profusa; aegrae, invito animo, morosae fiunt.

597. Satyriasis (4) est in maribus effroena veneris libido.

598. Nymphomania (5) in mulieribus.

---

(1) Adipsia ex α particula privativa, et δίψα sitis.

(2) Polydipsia a πολὺ multum, et δίψα sitis.

(3) Hysteria a Graecis πνὶξ ὑστερικὴ suffocatio hysterica.

(4) Satyriasis a σάτυροι satyri, quos in libidinem semper pronos fuisse fabulae tradunt.

(5) Nymphomania ex νύμφαι nymphae, muliebrium partes sat notae, et μανία furor.

599. Priapismus (1) est penis rigiditas spastica, et dolorifica absque veneris libidine.

600. Anaphrodisia (2) est venereae libidinis defectio, invalentia.

XIV. ORDO.

CACHEXIAE.

601. In cachexiarum (3) ordine recensemus infirmitates, et morbos, qui serius ocyus malum totius corporis habitum inducunt, quique commode ad alios ordines referri nequirent. Istiusmodi sunt atrophia, tabes, phthisis, chlorosis, icterus, scorbutus, scrofula, rachitis, syphilis.

602. Atrophia (1) est macies sine febre vel

---

(1) Priapismus nomen ductum ab hortorum custode Priapo, qui veretro praegrandi, et erecto pingi solet a Mythographis.

(2) Anaphrodisia ex α particula privativa, et ἀφροδίσια venerea voluptas.

(3) Cachexia καχεξία derivatur a κακὸς malus, et ἕξις habitus. Ceu quasi cachexiae synonimum cacochymiam usurpant Pathologi ob id, quod a vitiosis humoribus progigni cachexias credunt; cacochymiae enim vox componitur ex κακὸς vitiosus, et χυμὸς succus.

(4) Atrophia ex α particula privativa, et τροφὴ alimentum.

totius corporis, vel alicujus dumtaxat partis. Tabes, graece marasmus (1), est corporis macies cum febre lenta, sine dyspnoea, tussi, et expectoratione. Phthisis (2) est corporis macies cum febre lenta, dyspnoea, tussi, et expectoratione purulenta.

603. Chlorosis est mulierum infirmitas, vel morbus, in quo corpus ob sanguinis inopiam debile, decoloratum, ad pallidum, cineraceum, luteolum, quasi viridicatum colorem vergit: unde chlorosis nomen a χλωρὸς luteus, viridis. Isti morbo plerumque amenorrhoea; non raro pica adjungitur.

604. Icterus vox est a graecis mutuata, latine dicitur morbus regius (3), arquatus (4), in quo

---

(1) Marasmus μαρασμὸς a verbo μαραίνομαι tabesco, langueo.

(2) Phthisis φθίσις, seu φθόη a verbo φθέω corrumpo, labefacto, vitio, perdo, unde phthisis corporis macies, corruptio.

(3) Morbus regius ex Varronis sententia dictus est, quia mulso (quod genus potionis in Regum deliciis erat) curaretur; vel ex Celsi opinione ob id, quod curaretur quasi regio apparatu, nempe *lecto, conclavi cultiore, usu, loco, ludis, lascivia, et aliis, per quae mens exhilaretur* (lib. III. cap. XXIV).

(4) Morbus arquatus dicitur ex eo, quod hoc morbo laborantes virentibus suis oculis arcus coelestis colorem imitentur.

universum corpus, ne oculi albo quidem excepto, luteum, luridum evadit ob biliosum pigmentum cutem colorans. A Graecis ἴκτερος dicitur etiam avis, quam Latini vocant galgulum: hunc si spectasset quispiam morbo regio laborans, sanatum fuisse aegrotum, et avem mortuam, memoriae proditum est (Plin. lib. 30 cap. 11). Ex quo forsan ipsi morbo nomen icteri a Graecis tributum fuit; ni contra icterus morbus nomen avi suppeditaverit, quod tamen minus probabile. Melasicterus vocatus a μέλας ater, et ἴκτερος significat atrum icterum.

605. Hunc morbum languor, morositas, anorexia, nausea, vomitus, praecordiorum oppressio utplurimum praegrediuntur; dejectiones luridae, viridantes, urinae crocinae, fuscae plerumque comitant; nec raro consequuntur tardi pulsus, horridum frigus recurrens, cutis arida, pruriens tenesmus, adstricta alvus, ventris tormina, flavi sudores, et mali ominis hectica febris.

606. Icteri origo suppressa bilis excretione, aut interturbata secretione pendet, adeo ut bilioso pigmento exinde sanguis scateat, ex quo luridus universi corporis color. Jecinoris igitur vitia, tamquam icteri caussae antecedentes habentur, uti scirrhosa, steatomatosa durities, suppurationes, calculi aut in hepate, aut in vesica fellis, aut in horum ductibus considentes, vitales hepatis commo-

tiones a terrore, ab iracundia, a vermibus, a veneno, a vulneribus hepatis, nec non capitis. Nonnulli neonatorum icterum progigni autumant a subita penuria sanguinis in hepate post funiculi umbilicalis deligationem. Nos vero PLATNERI opinioni lubentius assentimur, qui auctor icterum foetus a materia glutinosa duodenum occupante produci tradit (1).

607. Scorbuti prima indicia habemus ex virium vitalium jactura, ex totius corporis lassitudine; ex artuum doloribus, ex gingivis tumidis, luridis, acileque sanguinem fundentibus; ex dentibus raris, inordinatis, exertis, cariosis, mobilibus, ex oris aphthis (2), ex lividis maculis per universum corpus suffusis. Hanc infirmitatem confirmant plurimi morbi inde proficiscentes, scilicet oris ulcera, et haemorrhagiae, frigidi genuum tumores, crurum oedema, et ulcera flaccida, atque lurida, sanguinem, saniemque fundentia. Scorbuti demum ultimum finem attingunt pulsus torpidi, urinae defectio, colici dolores, artuum resolutiones, dyspnoea, pectoris dolores, tussis, haemoptysis, crurum, pedumve gangraena.

---

(1) Jo. Zachar. PLATNERI ars medend. §. 480. Lipsiae MDCCLXV.

(2) Hoc oris vitium stomacacem appellat PLINIUS. Stomacace vox est composita ex στόμα os, et κακὴ vitiosum.

608. Caussae antecedentes scorbuticae cachexiae exquirendae praesertim sunt ex aëre, et victu. Humidus, frigidus, et depravatus aër praepedit, quominus sanguis necessariam oxygenii copiam excipiat; revera experientia compertum est, algidas nebulas boreales, clausum aërem inter navis tabulata huic aegrotationi ansam praebere. Salitae carnes, nimis asservata alimenta, utpote alendo minus apta sanguinem depauperant, vitae vires infirmant; scorbuticae propterea infirmitatis caussae evadunt. Insuper corporis ignavia, animi perturbationes non parum etiam conferunt ad scorbuticam cachexiam producendam.

609. Exstispicia scorbuto denatorum, monente Sprengel (1), sanguinem dilutum, ac depravatum ostendunt. In vasis tamen istorum cadaverum cordi vicinioribus substantia viridescens invenitur polyporum instar. Eorum pulmones farcti, ac hepatis more duri, gelatina, aut crasso sero obducti, nec raro pleura conjuncti observantur. Cor, nec non musculi caeteri flaccidi, pallidi videntur. Serosam demum colluviem in majoribus praesertim cavitatibus nanciscimur. Haec igitur observata aperte declarant a diluto, depauperato, ac vitiato sanguine provenire

(1) Inst. medic. tom. IV, pag. 753. Amstelodami 1814.

scorbutum, cui ideo quam maxime sunt obnoxii egenam vitam degentes, polarium litorum incolae, et navigatores, nec non nautae, qui diu dant vela in altum.

610. Scrofula, seu melius scrofulosa infirmitas sistit in glandularum, ac vasorum lymphaticorum debilitate, nec non in lymphae redundantia, et crassitudine. Istiusmodi cachexiam praenuntiant laxus corporis habitus, musculorum languor, ampli oculi, atque pathetici. Hanc vero aperiunt crassum superius labium, tumidus nasus, narium flavi serosi muci fluxus, rhagades, crustae, lippi oculi, mucosae fauces, ignavia, turbidum lotium, imminutum, tumidae, sed concolores glandulae cervicales, axillares. Ipsam demum confirmant aucta usque illarum glandularum moles, mala ulcera, aliaéque lymphaticae glandulae intumescentes, uti inguinales, popliteae, mesentericae, aliique frigidi tumores: quibus malis aliquando ossium caries, tabes, asthma, phthisis etiam succedunt.

611. Infirmitatis scrofulosae antecedentes caussae ac iis sunt, quae glandulas, et vasa lymphatica infirmare valent, nec non redundantem, crassamque lympham reddere; ideoque parentum cachexiae, ac prae caeteris ipsa scrofulosa, et syphilitica primam lymphatici systematis labem soboli inferunt, suisque alumnis nutrices cachecticae; et eam adaugent

in infantibus, et pueris narcoticorum abusus, udum coelum, malus aër, crassus, insulsus victus, populosa cubicula, diutina statio, inertia, aliaque id genus.

612. Rachitis sat affinis est scrofulae, quum utraque communem persaepe originem habeat, simulque extet. Haec definiri potest infantilis cachexia, quae per ossium maciem, mollitiem, ac malam conformationem se prodit. Rachitis a ῥάχις spina dorsi dicta est, quia hujusce invaletudinis phaenomena in dorsi spina praesertim conspiciuntur. Veteribus prorsus ignota haec infirmitas primitus a Bartholomeo Ruesnero anno 1582 fuit descripta (1). Ipsa plerumque non nisi post tertium, aut quartum aetatis annum se prodit; non desunt tamen exempla rachitidis, quae in provecta adolescentia acciderit.

613. Incipientem rachitidem denunciant corporis lassitudo, animi morositas, praegrande caput, praecox ingenium, facies tumidula, pallescens, oculi torvi, pupilla dilatata; increscentem commonstrant tumentia ossium capita, diaphyses (2) ema-

(1) Dissertat. de labe infantum. Basilea ann. 1582. Consul. Curt. Sprengel instit. patholog. tom. 4, pag. 727. Consul. Bertrandi nostrum tom. 5, pag. 310, et seq.

(2) Diaphysis διάφυσις, vel διαφυὴ interstitium inter

ciatae, detortae, corporis ignavia, difficiles, tardi vacillantes gressus, malae digestiones, abdomen inflatum, et tensum, alvus adstricta; urinae turbidae; et fere lacteae, cutis decolor, flaccida, lymphaticae glandulae tumidae; demum tumores frigidi suppurati, ossium caries, tabes miserrimam vitam finiunt. Syphilidem, cujus clinica schola quum nobis etiam incumbat, fusius edisseremus.

Syphilis.

De syphilidis historia.

614. Syphilidis castigatissimo nomine vocamus luem productam ab inoculatione peculiaris contagii, quod ideo et syphiliticum nominamus. Hoc contagium plerumque male afficit partes, quas primo percellit, deinde in universam corporis constitutionem translatum complures morbos, et quidem graves serius ocius progignit. Ista lues dicta est syphilis a Syphilo pastore, quem Fracastorius in suo poëmate (1) finxit,

---

artus, quod nomen componitur ex διὰ inter, et φυὴ, vel φύσις natura, substantia. Quasi intermedia ossis substantia.

(1) Poëma ποίημα a verbo ποιέω facio: opus antonomastice, quod aliquis facit; sed praesertim sumitur pro poëtae opere.

primum hac contagione tentatum fuisse ob laesum Deorum numen. Sic enim cecinit in lib. III:

» Syphilis ostendit turpes per corpus achores,
» Insomnes primus noctes, convulsaque membra
» Sensit, et a primo traxit cognomina morbus,
» Syphilidemque ab eo labem dixere coloni.

615. Innumera alia nomina huic lui fuerunt tributa a diversis fontibus derivata, nempe 1.° ex symptomatibus; 2.° ex nationibus diversis, unde contagio proxime transmissa credebatur; 3.° ex nominibus Sanctorum, quorum auxilium aegri implorabant; 4.° ex partibus, quae persaepe afficiuntur; 5.° ex modo, quo lues praesertim contrahitur.

Ex 1.° fonte haec lues ab Hispanis dicta fuit *la bubas*, *buvas*, *buas*, vel *boas*; a Genuensibus *lo male delle tavelle*; a Tuscis *il male delle bolle*; a Lombardis *lo male delle brossole*; a Gallis *la vérole*, *vairole*. Haec nomina cuncta pustularum morbum significant, ex eo quod, ineunte Europam hac contagione, si non unicum, certe tamen praecipuum hujusce luis symptoma pustulae constituebant, aut saltem magis conspicuum, magis notum.

Ex 2.° fonte dicitur morbus Gallicus, Celticus, *mal Franzese* a Neapolitanis, caeterisque Italiae populis; a Gallis e contrario morbus Neapolitanus, Italicus, *mal de Naples*; a Germanis *Frantzosen*,

vel *Frantzosischen pocken*, hoc est morbus Gallicus; ab Anglis *French pox*, hoc est Gallica variola; a Belgis, Batavisque *Spaanse pocken*, nempe Hispanicae variolae; ab Afris, et Mauris morbus Hispanicus; a Lusitanis morbus Castellanus; ab Indis orientalibus, ipsisque Japoniis morbus Lusitanorum; a Turcis, variisque populis Africae, qui maris interni, seu mediterranei oras accolunt, morbus Francorum, sive Gallorum, sive Christianorum; a Persis morbus Turcarum; a Polonis morbus Germanorum; a Russis demum morbus Polonorum: quoniam hi singuli populi morbum hunc ad se translatum ex finitima, vel commercio mixta natione expostulant.

Ex 3.° fonte vocatur morbus S. Maevii a Germanis; a Valentinis, Catalanis, et Aragonensibus morbus S. Sementi; a nonnullis morbus S. Jobi, S. Reginae, S. Evagrii, S. Rochi.

Ex 4.° fonte alia conficta fuere nomina ad hanc luem designandam, nimirum appellata fuit pudendagra, mentulagra, mentagra ob id, quod pudendae generatim partes, mentula, mentum defoedebantur ab istiusmodi contagione.

Ex 5.° fonte nominatur syphilis, syphiliticus morbus, lues syphilitica a Syphilo pastore, uti jam diximus; vocatur etiam morbus, vel lues venerea, aphrodisiaca, quum praesertim excipiatur volupta-

tibus venereis, sive aphrodisiis: aphrodisia enim dicuntur Veneris festa, nec non venereae voluptates. *Patursa* etiam nuncupatur a nonnullis, cujus nomenclationis rationem non nisi valde dubiam tenemus, quando tamen non lubeat credere cum Gabriele FALLOPPIO hoc nomen proprium esse in India, vel cum Johanne ALMENARE comminisci vocem illam ex primis syllabis trium vocum (*passio*, *turpis*, *saturnina*), unde *pa-tur-sa.* Quasi per patursam exprimeremus passionem turpem saturninam.

616. Lues syphilitica, sive venerea, sive quovis alio ex dictis nominibus designata antiquitus fuisse endemica vulgo creditur in insulis Antillis a Christophoro COLUMBO detectis, ac praesertim in insula Hispaniola, quae nunc insula Sancti Dominici appellatur; inde in Europam esse transmissa. Inter Europaeos Hispani primitus infecti ad Neapolitanos, utrique ad Gallos, hi tres autem ad caeteros Europae populos, imo ad plerosque Asiae, et Africae luem veneream propagarunt. Jam porro, ut hujusce luis historia apertius innotescat, nonnulla chronologico ordine depromemus ex eruditissimo ASTRUC (1),

(1) De morbis venereis lib. IX, auctore Johanne ASTRUC, etc.

quem, nec non LUISINUM (1), et GRUNER (2) consulant, qui de morbi venerei origine, atque progressu doctas controversias pervadere cupiunt.

617. Constat ex historia novum orbem auspicio Isabellae Reginae Castiliarum, et Legionis, consilio, et ductu Christophori COLUMBI (3) detectum fuisse sub finem saeculi decimi quinti. Hic cum navibus tribus, militibusque, vel nautis centum viginti

---

(1) De morb. Gallic. omnia, quae extant apud omnes Medicos cujuscumque nationis etc. in unum corpus redacta ab Aloysio LUISINO Utinensi Medico. Venetiis apud Jordanum Zilettum an. 1566.

(2) Aphrodisiacus, sive de lue venerea, etc., auctore Christiano Gothfrido GRUNER. Jenae apud Chr. Henr. Cunonis haeredes an. CIƆIƆCCLXXXVIII.

(3) Circa ejus patriam consul. Introduction à l'histoire générale et politique de l'univers par M. le Baron de PUFFENDORFF, tom. VIII, pag. 17. Amsterdam 1745.

Consul. etiam dissertat. Excellentis. Comitis Joh. Franc. GALEANI NAPIONE a Cocconato, viri in omnigena eruditione versatissimi, etc. etc. (Mémoires de l'Acad. Imp des sciences, littérature et beaux arts pour les années XII et XIII. Littérature et beaux arts. Turin an. XIII 1815. Memorie della R. Accad. delle scienze di Torino. Tom. 24).

Consul. Dissertaz. (ejusd. auct.) intorno alla patria di COLOMBO con nuovi opuscoli, e giunte. Firenze 1808. Del p.° scopritore del continente del nuovo mondo. Firenze 1809.

solvit e portu Baeticae, quem *Palos* nominant, die tertia augusti anno 1492. Post errores, laboresque varios appulit die sexta decembris ejusdem anni ad insulam ab indigenis Quizqueja, et Haiti dictam, quam Columbus Hispaniolam *Espanuola* vocavit, quae nunc insula Sancti Dominici, *San Domingo* appellatur, quaeque praecipua est inter Antillas. Inde constructo prius propugnaculo, cui Nativitatis nomen dedit, et ubi triginta octo milites reliquit, discessit die sexta januarii anno 1493, et tempestate actus ostium Tagi in Lusitania invitus subiit die sexta martii ejusdem anni. Hinc cum octoginta duo sive militibus, sive nautis, et novem Indis, quos secum adducebat, incolumis rediit die decima tertia ejusdem mensis ad eumdem Baeticae portum, et inde terrestri itinere pervenit die nona mensis aprilis sequentis Barcinonem, ubi Rex, et Regina Hispaniarum tunc aderant, susceptae navigationis rationem redditurus.

618. Christophorus, renovato apparatu navali, a Gadibus vela denuo fecit die vigesima quinta septembris ejusdem anni 1493 cum navibus septemdecim, militibus, volonibusque mille quingentis, multisque nautis, ac operis, et ad portum regium in Hispaniola insula a propugnaculo, quod Nativitatis dictum fuerat, haud longe distantem reversus est die vigesima septima novembris; unde ineunte anno sequente 1494 naves

quatuor et decem in Hispaniam remisit, quibus ducem praefecit Antonium de Torrez.

619. Mense aprili ejusdem anni 1494 Bartholomeus Colombus Christophori frater Hispaniolam adivit cum navibus tribus, et sub ejusdem anni finem iisdem navibus in Hispaniam rediere pater Buyl Catalanus, Monachus Benedictinus, et Petrus Margarit nobilis Catalanus, qui jam lue venerea graviter aegrotabat. Anno eodem mense augusti quatuor aliae naves ab Hispania ad insulam Hispaniolam appulere, duce eodem Antonio de Torrez, quae procul dubio cito quoque ad Hispaniam remissae sunt, uti de praecedentibus dictum est. Jam tunc, ut mense quolibet navis una ab Hispaniola in Hispaniam, navisque altera ab Hispania in Hispaniolam solveret reciproci commercii caussa, constitutum est.

620. Demum mense octobri anni 1495 Johannes Aguado Regum Catholicorum legatus navibus quatuor in Hispaniolam devectus est, ut de objectis Christophoro criminibus auctoritate regia inquireret; et inde subsequente anno cum navibus duabus Gades repetiit, quo appulit die undecima junii 1496 cum Christophoro, et ducentis militibus, qui lue venerea infirmabantur.

621. Exeunte decimo quinto saeculo Ferdinandus, et Isabella communibus auspiciis Hispaniam

regebant. Haec erat suo nomine Regina Castiliarum, et Legionis; ille vero jure paterno potiebatur regnis Aragoniae, Valentiae, imo etiam Siciliae, quam petrus III Aragonensium Rex jam invaserat teterrima illa Gallorum caede, quae in historiis famosa est *vesperarum sicularum* nomine. Tunc temporis Ferdinandus Aragoniae Rex suis copiis, quae a Sicilia transfretaverant, Ferdinandum II, sive juniorem Neapolis Regem auxiliatus est consanguinitatis caussa, ut hic amissum regnum recuperaret a Francis, qui, Carolo VIII duce, arma in Italiam moverant mense augusti anni 1494, a qua decedere coacti fuerunt ad finem anni 1496.

622. Merebant Hispano exercitu in Neapolitanorum commilitium ascito milites non pauci, qui aut primo itinere cum Christophoro Columbo mense martii anni 1493, aut secundo cum Antonio de Torrez principio anni 1494, aut tertio cum Petro de Margarit exitu ejusdem anni 1494 ab Indiis reduces lue venerea, quam in Hispaniola conceperant, adhuc infecti erant. Merebant fortasse alii milites, qui jam in Hispania contraxerant eamdem luem, quae ab illis in nostrum orbem traducta fuerat. Nil mirum igitur, si labe simili Neapolitani plurimi cum Hispanis commilitantes brevi contaminati fuerint communione meretricum, quae in castris, et praesidiis frequentes esse solent. Hinc

idem contagium ab alterutris, vel potius ab utrisque in Gallos derivari cito debuit eadem de caussa; quum enim per biennium varia, et incerta fuerit belli fortuna, ac civitates eaedem ab adversis partibus saepius et vi captae, et vi receptae sint, manifestum est, easdem meretrices, quae cum Hispanis, et Neapolitanis jam consueverant, cum Gallis quoque consuevisse: unde venerei morbi seminia ultro, citroque communicata sunt, atque distracta. Contaminatis semel hoc modo tribus praecipuis Europae nationibus contagium ad caeteras debuit brevi disseminari ob commercium, quo invicem utuntur omnes Europae populi. Exinde ipso etiam commercio, quod erat inter Europaeos, Asianos, et Afros, nec non tot, tantisque bellis, quibus ex intervallo commotae fuerunt per tria saecula universae gentes, syphilitica lues, qua late patet terrarum orbis, gradatim prolata fuit, adeo ut ne viculus quidem aetate nostra (heu nimium!) post tot alia praecipue, tantaque bella isto morbo immunis dici possit.

623. Syphilidis originem in controversiam esse deductam silentio non dissimulamus: alii enim hanc luem hominibus fuisse coaevam, proinde vetustissimos populos jam ab illa conflictatos fuisse autumant; alii certum tempus haud definientes, quo primitus in diversis orbis terrarum plagis hoc hu-

mani generis excidium apparuerit, Americanam ejus originem denegant. Allata istorum omnium argumenta copiose refellit doctissimus ASTRUC, vel saltem argumentorum momenta pro nostro judicio admodum infirmavit. Post tantum auctorem Galliae, medicaeque reipublicae universae lumen non ita pridem SANCHEZ, SARMIENTO, HENSLER hanc luem Italicam volunt. GRUNER exinde ab Afris ipsam derivat (1).

Tantae molis fore hasce dirimere lites, nos probe novimus, ut sat, superque esse pro nostro munere eas enuntiasse credamus.

De syphiliticis morbis,
nec non de syphilitico contagio generatim.

624. Morbi syphilitici in suo quisque genere, ac specie generatim ab aliis non differunt, nisi ob antecedentem caussam, qua illi progignuntur, vel aluntur. Antecedens istorum morborum caussa est infensum peculiare principium. Hoc haud incredibiliter contagium est dumtaxat humanum; siquidem observationibus, et experimentis constat, nec a suscepto isto contagio, nec ab ipsa ejus inoculatione complura domestica animalia unquam laborasse vera syphilitica lue. Ex mitescentibus morbis

(1) Consul. oper. citat. praefat.

venereis a prima apparitione in hanc diem fas est conjectare, venereum contagium esse posse plus, minusve intensum, actuosum: adde etiam, quod certe magis, aut minus infectis humoribus dilutum dimanare, nec non degenerare quandoque potest in minus malefica principia hujusmodi contagium.

625. Intima hujusce contagii natura nobis prorsus est ignota; pauca vero, quae de hoc novimus, a clinicis solummodo observationibus comperta fuere. Nobis autem minime lubet tempus terere in recensendis hypothesibus circa hujusce contagii naturam traditis, nec nos hallucinantur speciosa commenta Augusti Hautpmanni, Christiani Langii (1), aliorumque etiam ex recentissimis (2), qui arbitrantur, virus venereum nihil aliud esse nisi numerosam pullitiem vermiculorum minutissimorum, peragilium, maxime vivacium, multiplici prole foetificantium; qui semel admissi multa progenie sobolescant, qui ad varia corporis loca frequentes colonias deducant, qui partes, quas incolunt, vellicando, mordendo inflamment, rodant, exulcerent; qui uno verbo cuncta inferant mala, quae in syphilide laborantibus

(1) Consul. Astruc de morb. vener. tom. I, pag. 87.

(2) Ozanam: Cenni sulla teoria, e la pratica della dottrina medica del controstimolo, pag. 32. Milano 1812.

observantur: haec enim opinio nullis sat firmis argumentis hucusque fulcitur.

626. Hunter vero quaestionem non aggredimur, nimirum an varia contagia commixta, aut seorsim admissa in animatum corpus, possint uno, eodemque tempore suas quaeque exerere maleficas actiones cum in partem, quam primitus afficiunt, tum in universam corporis constitutionem; sed affirmare non haeremus, pus variolosum, atque vaccinum foedari posse a syphilitico contagio; ideoque una cum vaccino, aut varioloso contagio communicari etiam posse syphiliticum inoculationis ope, exindeque conduplicata mala exoriri: hoc enim est, quod Clinicorum maxime interest.

627. Contagium syphiliticum ab infectis facillime sanis communicatur, quotiescumque deponitur in horum partibus aut cuticula denudatis, aut tenero epithelio (1) obtectis. Illud tamen non semper inficit homines, quos hoc modo attingit; siquidem invita corporis opportunitas morbosam contagii actionem aliquoties expungit, respuit; siquidem lotiones vel simplices diluunt, auferunt contagium ipsum, vel medicatae hoc neutrum forsan reddunt; siqui-

---

(1) Epithelium ex ἐπὶ supra, et θηλὴ papilla: quasi dermis papillas superposita.

dem aliquis quasi intermedius parte abripere contagium potest, et hoc infici prius, quam in illam partem, quae primitus contagium excepit, hoc suam morbosam exeruerit actionem. Syphilitici contagii actionem fovent e contrario vitalis vigor, calor, mador partium tum exhibentium, tum excipientium contagium, nec non protractae illarum confricationes; quod prorsus evenit in coitu, in lactatione, in basiis. Contagium demum per se eo magis fit actuosum, quo magis ingravescit morbus, unde illud scatet.

628. Plerumque contagium syphiliticum ab infectis ad sanos traducitur ob purulentas, vel puriformes materias, quae morbis *localibus* effluunt. Humores etiam naturales, uti sanguis, lympha, lac, sperma, saliva, mucus, etc. hocce contagio foedari possunt, adeo ut per istos etiam humores ab infectis nullo prorsus morbo *locali* laborantibus ad sanos quandoque devehatur syphiliticum virus.

629. Mater venereo contagio infecta, etiamsi nulla mala affectione laboret, suum tamen valet inquinare foetum per graviditatis tempus ob naturales humores, quos hic ex illa excipit. Pater etiam per prolificum liquorem inquinare potest humanum germen momento ipso, quo ei vitam tribuit. Venereo contagio polluta mater minus frequenter sterilescit; saepius fortasse virile sperma eo inqui-

natum contagio fit infoecundum, prout nobis suadent observationes.

630. Licet sui omnino generis sit syphiliticum contagium, morbos tamen producit forma, specieve diversos, et primo quidem in partibus, quas proxime percellit, deinde in remotis etiam, nec non in universa corporis constitutione, quando absorbetur, atque longe, lateque diffunditur. Proinde genitalia primitus morbo corripiuntur in utroque sexu, si coëundo, aut irrumando contagium excipiatur; podex, ejusque viciniis, si paedicando (1); labia, gingivae, lingua, buccae, palatum, fauces, si sugendo, lambendo, suaviando, aut fellando; mam-

---

(1) Paedicare graece πυγίζειν nates contrectare. Hinc paedicones vocantur, qui nefandam praeposteram libidinem cum masculis exercent.

Draucus dicitur, qui alterum init non propria libidine, sed ut illi obsequatur, qui subagitari expetit.

Pathicus a verbo παθεῖν pati dicitur, qui paediconibus obsequitur.

Cinaedus κίναιδος ex κενὸς inanis, et αἰδὼς penis est species pathici, qui inani pene turpiter gaudet, videlicet qui a draucis subigi delectatur.

Catamithus puer, quo quis ad praeposteram venerem abutitur ex κατὰ particula, et μιθὸς pro μισθὸς merces ut sit puer meritorius.

marum papillae, atque areolae, si lactando; quaevis externa corporis pars, si concubando, et contrectando. Ab absorpto, traductoque per vasa *lymphatica* contagio proximae plerumque inficiuntur glandulae conglobatae, quo illa confluunt; exinde quaevis corporis pars infici potest ab absorpto, et in sanguinem traducto contagio.

631. Morbi primitivi dicuntur, qui paucos post dies in partibus suscitantur, quae syphiliticum contagium primo exceperunt, quin hoc antea in sanguinem fuerit translatum; istiusmodi morbi sunt pustulae, cancri, rhagades, gonorrhoea, excrescentiae, bubones: hujus syphilidis gradus dicitur et lues venerea, sive syphilis primitiva. Ab absorpto contagio, atque in sanguinem transfuso iidem morbi aliquoties producuntur, nec non alii bene multi, imo cuncti, sic dicam, progigni, et ali possunt, qui omnes tunc secundarii dicuntur: alterque hujusce luis gradus syphilis secundaria, lues venerea vel secundaria, vel confirmata, vel universalis, vel *constitutionalis* nuncupatur, quam incuratam tot, tantaeque malorum iliades consequuntur, ut quandoque lues ista sit vera mortis pyra (1), morteque ipsa longe magis horribilis, atque timenda, uti jam

---

(1) Pyra, rogus πυρὰ a πῦρ ignis.

exclamavit Boerhaave (1). Hic admonere juvat, quandoque universalem syphilidem obvenire posse, absque ullo praecedenti morbo in parte, quae primitus contagium excepit.

632. Ex minima syphilitici seminii particula absorpta contagium hoc procreatur, augetur. Quomodo autem id fiat, etiamnunc haud sat exploratum habemus: nonnulli enim, et forsan ad veritatem magis accedentes existimant, lympham primitus, sanguinem deinde a seminio venereo contaminari, et ita humorum, solidorumque illuviem lente augeri: nonnulli vero excogitant, ab isto contagio vitae proprietates immutari, depravari, ita ut per se valeant hujusmodi contagium regenerare, atque adaugere.

633. Sed certo scimus (quod certo scire plurimum Clinicorum refert), illud semel in humorum circuitionem admissum usque augeri, nec unquam sponte, sive unis naturae viribus adjuvantibus corrigi, aut eliminari in nostris saltem regionibus, ut ut in contrariam abeant sententiam Vanswieten, Brassavola, Falloppius, Peryl, et Pinel (2).

---

(1) Tractatus medico-practicus de lue aphrodis. Venetiis 1765.

(2) Consul. Lagneau exposé des symptom. de la malad. vénér., pag. 128. 130. Paris an 1812.

Jamdudum observationibus compertum est, virus venereum ad multos aliquando annos in sanguine, aut quomodocumque in corpore latere sine ullo suae existentiae indicio; sed tandem aliquando, etsi nullum contagium novum accedat, hydrae (1) instar sponte reviviscere, celerique progressu mala exsuscitare gravissima. Mirandum sane est, quod de hac apertissima veritate dubitaverit Curtius SPRENGEL (2). En verba ejus ipsissima: » Possit ne virus » venereum latere in aliqua corporis parte absque » ullo effectu praeternaturali, ambigitur. Res qui» dem ipsa haud refragatur; namque separatae omnino » sunt partes quaedam ope gangliorum, ut sen» sum cum aliis haud communicent; vasorum in» super sanguiferorum actio reniti adeo potest, ut » per aliquod tempus efficaciam virus amittat: sed » per annos integros penitus latere posse, ut sa» nissimi homines tamen favillam sub cineribus » occultam gerant, mulieresque sanae venereum » contagium cum foetibus communicent, fabulosum » puto ».

Ex hucusque dictis haud difficile erit intelligere,

---

(1) Hydra ὕδρα ab ὕδωρ aqua. Serpens aquatilis.

(2) Instit. medic. tom. IV, pag. 738, §. 635. Amstelodami 1814.

quid sit lues syphilitica latens, quid manifesta, quid anceps, sive *larvata*, uti vocant.

De cancris.

634. De pustulis primitivis vix est cur moneamus: istae enim mox in cancros abeunt. Pustulas verò secundarias suo loco indicabimus.

635. Cancri syphilitici dicuntur ulcuscula in prima apparitione *superficialia*, rotunda, lardacea, dein pertinacia: plerumque in membranis mucosis insident, nec tam raro in communi cute. Eodem modo ulcuscula syphilitica procreantur a contagio sive recens admisso, sive jampridem excepto, et in sanguinem transfuso: scilicet utroque modo contagium in parte, quam afficit, parvam pustulam producit, quae primum prurit, deinde dolet, postremo dehiscit, et materiam purulentam fundit. Hinc per assiduam erosionem ulcus crescit, dilatatur, excavatur, callis cingitur magis, vel minus densatis, atque duris. Purulenta ulceris materies contagii particeps scatet, et similia ulcuscula in vicinis partibus valet excitare, nedum sanum inficere hominem, quem attingit (ut innuimus §. 628).

636. Istiusmodi ulcuscula modo solitaria inveniuntur; modo sunt pauca simul, sed discreta; modo frequentia, et confluentia, quae demum in unum majusculum coëunt. Ex istis alia sunt minus

mala, nimirum quae rotunda, et *superficialia* sunt; quae habent labra minus callosa, nec rubra, nec extuberantia; quae subrubent, et laudabile pus suffundunt. Alia e contrario pejora sunt, et quidem illa, quae habent irregularem figuram, et angulosam superficiem, atram, livescentem, nigram, margines duros, callosos, prominentes, inflammatos, nec non fundum induratum; ea quoque pejora sunt, quae admodum dolent, quae quid ichorosi fundunt potius, quam genuinum pus, quae latius, altiusque serpunt partes depascendo.

637. Cancri venerei persaepe genitalia tenent: in viris quidem insident faciei internae praeputii, ejusque extremo margini, balano (1), ejusque coronae, fraeno; quandoque etiam extremo urethrae ductui. In foeminis vero insident faciei internae labiorum, summae clitoridi, ejus radici, nec non praeputio, geminis nymphis, carunculis *myrtiformibus*, vaginae, extimo urethrae ostio, foveae *naviculari* vulvae.

638. Contingit et in aliis quibusdam partibus observare ulcuscula syphilitica, praesertim si per illas partes virus venereum fuerit novissime admissum: ita in catamithis, in pathicis, cinaedis, si

(1) Balanus βάλανος glans.

paediconum, et draucorum (1) tentum syphilitico seminio inquinetur, ani vicinia syphiliticis cancris foedantur; ita in nutricibus, si istae lactitent alumnos syphilitico contagio pollutos, mammarum papillae, et area, quae papillam ambit, istiusmodi ulceribus afficiuntur; ita in alumnis, si pariter ab impuris nutricibus lacteant, labia, buccae, gingivae, lingua, fauces syphiliticis afficiuntur ulcusculis. Quod et accidit in salacissimis amasiis, si, dum isti columbantur, uterlibet syphilitica contagione sit inquinatus. Quae ulcuscula, sicuti a contagio syphilitico ortum aeque ducunt, sic venereos genitalium cancros vere referunt.

639. Istarum partium omnium vicinia non a tenero epithelio, sed communi velamento obtecta, uti extimum praeputium, mentulae dorsus, scroti sub mentula radix, nates, interfoemineum, viri perinaeum, extima vulvae labia, mammarum corpus, extima oris labia, faciesque universa syphiliticis pustulis, et cancris non adeo frequenter, sed aliquoties obnoxia sunt ob recens exceptum syphiliticum contagium. Ab isto autem contagio absorpto, et in sanguinem jam transfuso nulla corporis

(1) Circa nomina catamithi, pathici, cinaedi, paediconis, et drauci consul. annotationem sub §. 630.

pars certe immunis dici potest istiusmodi pustularum, ac ulcerum.

640. Non incassum monemus iisdem in partibus, quibus ulcuscula syphilitica evenire solent, tum pustulas primum, tum ulcuscula dein similia, tum decorticationes interdum fieri: puta si cum muliere res habeatur, qua defluant acriora menstrua, et albi fluxus mordaciores vel paullo ante defluxerint, imo etiam sine concubitu si nimia fuerit acrimonia humoris, qui ex odoratis glandulis scaturit in viris, nec non in foeminis, et inter genitalium rugas in sordem colligitur, quando non eluatur; demum tum in genitalibus, tum in aliis partibus ob innumeras caussas pustulae, et ulcuscula contingere possunt, quae cum syphiliticis confunduntur non raro ab incautis, quaeque tamen non adeo difficile discernentur, si traditis syphiliticorum cancrorum notis, et caussis attendamus mente perspicaci. Enimvero decorticationes, quae sub praeputio, in vulva, in podice accidere possunt, ab ulcusculis veneris praecipue dignoscuntur ex eo, quod cutis superficiem illae tantummodo lambant, quod late serpant, nec ullam certam figuram servent, quod nullis callis obsideantur, et quod cito evanescant aut sponte, aut appositae lotionis ope.

641. Refert etiam eruere, utrum cancri sint prognati a contagio recens admisso, an a lue jam-

dudum latente. Quae quidem quaestio ex aegrotantium praesertim confessione est dirimenda. Haec caeteroquin ulcuscula omnia, utcumque mitissima videantur, aut jam confirmatam luem declarant, aut hanc futuram praenuntiant. A cancris enim primitivis semper est pertimescenda syphilitici contagii absorptio, indeque lues serius ocius confirmata; sed eo magis, quo diutius illi incurati fuere; quo jam ulterius in glandulas lymphaticas virus est provectum; quo parciore pure ulcuscula depurgantur; quo virulentum pus magis partibus insidet, quod evenit in phimosi, in constricta vulva, in neglectis ablutionibus; quo magis praepeditur puris confectio, atque effluxio, uti quando hujusmodi ulcuscula adstringentibus, aut escharoticis remediis sub prima praesertim cancrorum apparitione curantur. Nihilo tamen minus complures testantur observationes, nonnullos, qui venereis ulcusculis olim laborarunt, quin pro hisce ulla fuerit adhibita curatio specifica, totam deinde vitam transegisse a quocumque luis confirmatae symptomate plane, et omnino immunem. Quapropter etsi ulcuscula venerea praegressa latentis luis suspicionem merito linquant, haud tamen ex hoc unico indicio certum de confirmata lue judicium ferendum est, nisi aliquod compertum signum accesserit, aut ea vel ancipitum signorum collectio,

quae pathognomonicum signum valeat constituere.

642. Partes, quae venereis ulcusculis divexantur, persaepe inflammatione corripiuntur, adeo ut complures, et diversae noxae in illis suboriantur. Si mammarum papillae inflammatione afficiantur, in apice tument, in basi constringuntur, diris doloribus torquentur, proindeque istae foeminae difficillimam habent lactationem; si podex in catamithis (1) gravi inflammatione corripiatur, podicis ostium coarctatur, inde faecum egestio difficilis, gemebunda evadit; oris labia, buccae, fauces, istiusmodi inflammatione vexatae esum, potum, loquelam difficile, atque moleste exequuntur; muliebribus intense inflammatis quaedam incommoda vaginae constrictio succedit, molestae hinc fiunt mictiones, nec non dejectiones, molestique coitus; si praeputium inflammatur, phimosis fit, quotiescumque hoc suapte natura longum, et strictum est; iis vero, quibus decurtatum est, et laxum, paraphimosis potius succedit. Cum phimosis, tum paraphimosis fiunt etiam ob oedematosam inflationem, et ob lentum, ac durum farctum. In phimosi, ac paraphimosi praesertim *inflammatorio* glans etiam plerumque inflam-

---

(1) Circa catamithi nomen consul. annotationem sub §. 650.

matur, adeo ut tota coles aliquando vehementi phlegmone afficiatur, mictiones difficillimae évadant, proximumque sit gangraenae periculum.

643. Partes jam syphiliticis cancris laborantes non raro corripiuntur etiam gangraena, quae repetenda est vel ab intensissima partium inflatione, vel a syphilitico contagio quam maxime deleterio, vel ab istis simul junctis, complicatisque caussis, quibus etiam addenda est quaedam morbosa aegroti opportunitas. Nostrum non est hic disserere de gangraena, quae inflationes partium intensas, aut quasdam peculiares aegroti dispositiones consequitur: istae enim gangraenae parum habent dissimilis, si morbis syphiliticis obveniant. Pauca potius dicemus de altera, quae a contagio quam maxime deleterio producitur. Nos hic intelligimus de illa gangraena, quae syphilitica ulcuscula, vicinasque partes vix, aut ne vix quidem tumidas prompte invadit, celeribusque progressibus finitimas partes usque depascitur, adeo ut ne validissima quidem remedia quandoque valeant tantam stragem finibus comprehendere. Istiusmodi gangraenae, qua nullum certe aliud periculosius est malum, opitulantur profecto communia medicamenta, sed non nisi specifica medentur.

644. Ulcusculis syphiliticis ad cicatricem perductis, supersunt interdum dura, et renitentia tubercula doloris expertia modo in partis contextu se-

pulta, et solo tactu dignoscenda; modo prominentia, et visui quoque obvia; puta in quacumque praeputii, aut balani parte adesse possunt ista tubercula; sed frequentiora eveniunt iis in locis, quibus ulcuscula venerea profundius infossa fuere, et frequentissima in extremo praeputii limbo, quae tubercula phimosim etiam producunt, nec non in corona balani, quae non raro paraphimosi occasionem praebent. Talia tubercula aliquid incommodi veretro inferunt, praesertim si rigens veneri militet.

645. Ampliora etiam ulcera a confirmata lue ali, aut produci possunt, in quibus semper considerandae occurrunt tum generales, tum peculiares ulceris conditiones, et syphiliticum contagium late diffusum, ceu ejus caussa antecedens. Ista satius erunt commemoranda, quum de lue venerea confirmata sermo erit.

646. Post ea, quae de cancris syphiliticis brevi tradidimus, perpauca adhuc dicenda restant de rhagadibus: hic igitur sufficiat commemorare, istas nihil aliud esse, nisi syphiliticas ulcerosas fissiones; praesertim contingere in podicis rugis, in mammarum papillae radice, in glandis corona, nec raro in manuum vola, in pedum planta, inter digitos, et alibi; ipsas demum fieri quandoque a distractione, ab acribus humoribus, etc., nullo fovente contagio syphilitico:

De gonorrhoea.

647. Puriformis materiei fluxus ex urethra, et ex vagina dicitur gonorrhoea a graecis vocibus γονὴ genitura, sperma, et ῥοὴ fluxus, siquidem sperma vere effluere creditum est. Acriter disputant novissimi Pathologi, utrum syphiliticum virus, quod cancros, syphilidemque confirmatam producit, producat et gonorrhoeam; an detur peculiare virus gonorrhoicum a syphilitico prorsus alienum. Qui autem hoc patrocinari totis viribus satagunt, suam sententiam tuentur hisce praecipuis argumentis. 1.° Gonorrhoea numquam producit confirmatam syphilidem. 2.° A gonorrhoea constanter communicatur gonorrhoea, a cancris communicantur cancri, non vice versa. 3.° Materies gonorrhoica inoculata numquam cancros producit, neque syphilidem secundariam. 4.° Gonorrhoea numquam symptomatica luis venereae confirmatae observatur. 5.° Hydrargyrum summopere prodest et cancris venereis, et morbis omnibus, qui inde proficiscuntur ab absorpto syphilitico contagio; minime gonorrhoeae, nec ejus consequentibus malis tum *localibus*, tum *constitutionalibus*. 6.° Gonorrhoea virulenta contigit in Europam non nisi quinquagesimo circiter anno a syphilidis apparitione, quin imo in quibusdam regionibus humanam speciem conflictat syphilis, non tamen gonorrhoea.

648. Hanc quaestionem expendentes animadvertimus primo, gonorrhoeam produci ab innumeris caussis irritantibus, praeter syphiliticum virus, aut peculiare gonorrhoicum, de quo lis est sub judice. Enimvero sacri codices, primaria rerum antiquarum monumenta, nec non vetustissimi rerum medicarum auctores apertissime declarant, gonorrhoeam et quidem contagiosam nullo non tempore extitisse ante luis venereae adventum; verissimae praeterea observationes quotidianae abunde etiam comprobant, nunc temporis adhuc esse hanc gonorrhoeam absque ullo syphilitico seminio, aut alio peculiari viro, quae tamen gonorrhoea fit contagiosa, quaeque nullis certis signis a virulenta distingui potest. Aequissimo igitur jure statuendum est, gonorrhoeam antiquitus jam ab innumeris caussis irritantibus productam, et invicem communicatam fuisse ante syphilidis adventum, exinde a syphilitico etiam contagio fuisse prognatam, quod tamen, si probabiliora sequi velimus, non gonorrhoeam produxit, nisi a primaria sua natura degenere. Perscrutemur modo allata adversariorum argumenta.

649. 1.° Gonorrhoea, asserunt isti, confirmatam luem veneream nunquam producit. Alii perraro gonorrhoeae succedere confirmatam syphilidem propriis observationibus freti omni asseveratione affirmant; alii sat frequenter. Quid nos in tanta

sententiarum discrepantia judicio nostro proferemus? Candide fatemur, prout nostra observata ferunt, nos hucusque syphiliticam luem confirmatam a gonorrhoea productam nunquam vidisse; fatemur praeterea, nos etiam ab aegrotis quotidie deceptum iri, nisi callida indagine rem exploraremus: re enim vera syphiliticas lues confirmatas, quae ab aegrotis tribuebantur gonorrhoeis ceu earum caussis, a cancris semper originem habuisse continuo detegimus. Nec ignoramus gonorrhoeis succedere late per corpus dolores, arthritides, bubones, excrescentias, aliosque morbos tum *locales*, tum *constitutionales*, qui tamen morbi semper, prout constat ex nostris observationibus, a vere syphiliticis toto coelo distant, adeo ut curatio, quae hisce proficit, illis non conveniat, ne dicam officiat.

650. 2° A gonorrhoea constanter communicatur gonorrhoea; cancri a cancris, non vice versa. Huc etiam nostris observationibus innixi addere possumus, a gonorrhoea ulcerosas quidem decorticationes produci, non veros cancros. Qui vero cancris, et gonorrhoea simul afficiuntur, eos ista mala non ob communem caussam pati probabilissimum est.

651. 3.° Materies gonorrhoica inoculata nec cancros, nec secundariam syphilidem producit. Istius;

modi experimenta nunquam tentavimus, sed res ipsa sat luculentam praesefert veritatem; siquidem nec exulcerationes, nec excrescentias, nec bubones a gonorrhoeis provenientia unquam in veram syphilidem abiisse observavimus.

652. 4.° Gonorrhoea nunquam evenit tamquam symptoma luis venereae confirmatae. Utrum in viris gonorrhoea detur ceu syphilidis confirmatae symptoma, nec ne, asserere non audemus. Hoc tamen observare nobis hucusque non contigit: in foeminis, fatemur, syphilide vel latente laborantibus et menstruae, et lochiales expurgationes syphilitico seminio quandoque inquinantur, aeque ac albi fluores, quae sic pollutae expurgationes coëuntibus viris gonorrhoeam communicare sunt pares; sed minime haberi possunt pro gonorrhoeis luis venereae symptomaticis. Haec verissima observata apertissime detegunt, gonorrhoeam a venereo quidem contagio produci, sed jam degenere a primaria sua natura.

653. 5.° Hydrargyrum, quod summopere prodest cancris venereis, morbisque, qui ex hisce proficiscuntur, nec gonorrhoeae, nec consequentibus ejus malis convenit. Hoc sat, superque exploratum habemus nostro aevo ex clinicis observationibus. Nec enim plane proficit hydrargyrum caeteris morbis a degenerato syphilitico contagio provenientibus.

654. 6.° Gonorrhoea virulenta accidit Europae non nisi quinquagesimo circiter anno a syphilidis apparitione: quin imo in quibusdam regionibus conflictat humanam speciem syphilis, non tamen gonorrhoea (1). Huic postremae assertioni adstipulari nos vetat ratio; ex eo autem, quod gonorrhoea non nisi quinquagesimo circiter anno contigerit a syphilidis adventu, probabilius fit, reapse per hunc temporis lapsum virus syphiliticum adeo potuisse quandoque degenerare sub quibusdam rerum adjunctis, ut par esset progignendae gonorrhoeae, a qua non amplius vera confirmata syphilis procreari possit. Caeteroquin complures alii morbi syphilitici tardius etiam a prima syphilidis apparitione inter Europaeos se se prodiderunt, quos tamen morbos a syphilitico contagio provenire nullus inter Pathologos dubitat (2).

655. In tanta demum Pathologorum contentione, et gravissima quidem quaenam nobis pars est tenenda? Hoc profecto credendum est, donec aliquid certioris nobis aperiant Clinicorum observata: nempe 1.° gonorrhoeam probabiliter produci a syphilitico contagio, sed degenere. 2.° Luem veneream con-

(1) Consule Astruc tom. I, pag. 389.
(2) Vide Astruc tom. I, cap. XIII.

firmatam aut perraro, aut numquam gonorrhoeae vel virulentae succedere. Jamvero ad hujus morbi descriptionem procedamus.

656. Quando gonorrhoea in viris ob susceptum contagium est apparitura, plerumque inter secundum, et octavum diem, velque tardius navicularis fovea urethrae calet, prurit, et, dum urina emittitur, dolet, indeque guttatim extillat paucus puriformis mucus viscidus, qui meatum urinarium quasi conglutinat. Summa urethrae rima rubet, calet, hiatque praeter naturam ob id, quod ejus margines fiunt tumiduli.

657. Morbus deinde gliscit, effluxus augescit. Coles ob progredientem inflammationem tenditur, rigescit, atque induratur, et dolor in dies invalescit. Aliquando omnia intensius urgent. Perinaeum calet, dolet, tumet; ardor urinae mingentem urit, atque discruciat, praesertim in urethrae fovea naviculari; uberrime effluit puriformis mucus ardens, acris, graveolens, flavus, viridis, quandoque sanguinolentus; mentula frequenter, invita venere, erigitur, distorquetur, incurvatur, gravesque patitur dolores: tunc gonorrhoea vulgo dicitur *chordata*. Defervescente demum inflammatione paullatim omnia mitescunt, humor gonorrhoicus parcius fluit, magis albicat, spissiorque fit, et sensim sensimque, quasi exhausta scaturigine, diffluere cessat.

658. Quae de viris diximus, ea pari ferme modo in mulieribus succedunt: scilicet a concepta prima mali labe paucos post dies frequens suscitatur in vulva molestus pruriginis sensus cum calore conjunctus, et muliebria insolito humore madent. Deinde, aucto vaginae ardore, rubore, dolore, veretri admissio vix toleratur; quandoque urethra minime afficitur, quandoque hanc in mictionibus excruciat acrimoniae sensus, plerumque tamen multo remissius, quam in viris; profluit copiosus ex vagina, interdum etiam ex urethra puriformis mucus calens, liquidus, acer, modo flavus, viridis, graveolens, perraro sanguinolentus. Sensim demum imminuta vaginae, urethrae, appositarumque partium phlogosi, ac mitescente dysuria, siqua fuerat, perseverat tamen aliquamdiu fluxus gonorrhoicus, sed in dies magis ac magis albicans, donec pedetentim cesset.

659. Ex dictis facile colligitur, gonorrhoeam virorum sistere in catarrhali inflammatione membranae mucosae urethrae, quae inflammatio ab intromisso syphilitico contagio suscitatur primum in summa urethra, deinde ultra propagatur: istiusmodi vero inflammationis participes etiam fieri possunt partes aliae ad urethram pertinentes, uti ejus bulbus, cowperianae glandulae, prostata, seminiferi

ductus, testes, vesica ipsa, nec non caeterae circumpositae partes.

660. Foeminarum gonorrhoea utplurimum sistit in catarrhali pariter inflammatione mucosae membranae vaginae, rarius urethrae, quarum membranarum utravis, si primitus gonorrhoica inflammatione afficiatur, ad alteram dein inflammatio protendi potest, nec non ad circumstantes etiam partes. Non abs re hic monemus in utroque sexu puriformis muci fluxum quandoque contingere ex podice ob communes gonorrhoeae caussas.

661. Datur et alia gonorrhoeae species non raro in viris obvia, quae externa merito dici potest; siquidem non ex urethra, sed ex corona balani inflammata puriformis mucus viscidus, flavus, graveolens effluit non uberrime quidem, ut in gonorrhoea urethrali, sed sat copiose. Haec gonorrhoea sub initio, et in fine, quandoque etiam per totum decursum voluptificam potius tentiginem, quam dolorem affert.

662. Mulieres ipsas isti etiam gonorrhoeae esse obnoxias observavimus, in qua puriformis mucus nec ex vagina, nec ex urethra abunde fluit, sed ex una vulvae facie interna stillat, adeo ut viscido humore dumtaxat obliniantur nymphae, magnorum labiorum interna facies, vaginaeque ostium potius, quam ex hac ubertim diffluat: istiusmodi gonor-

rhoea praesertim accidit in puellulis, quando ob imperfectum coitum contagium gonorrhoicum non ultra vulvam attingit.

663. Non semper gonorrhoica scaturigo, defervescente inflammatione, exsiccatur; sed quandoque istiusmodi stillicidium per complures menses, interdum per aliquot annos perdurat plerumque parcum, albidum, glutinosum, inodorum, quod vulgo dicitur gonorrhoea *habitualis*, quae est vel contagiosa, vel non, continua, aut recurrens.

664. Gonorrhoeae *habituali* foeminae magis, quam viri, obnoxiae evadunt, et eae quidem, quae pluries pepererunt, quae complures sunt passae gonorrhoeas, quaeque albis fluoribus laborare solent, cum quibus facillime confunditur istiusmodi gonorrhoea. Hujusce diutini stillicidii caussae sunt vel quid gonorrhoici contagii adhuc in urethra, aut in vagina nidulantis; vel istae partes, nec non aliae huc pertinentes debiles, laxae, farctae.

665. Morbi sive symptomatici, sive diadochi gonorrhoeae dividi possunt perspicuitatis gratia in utrique sexui communes, et cuique proprios. Communes sunt genitalium phlegmone, perinaei, nec non adjacentium partium tumores tum acuti, tum chronici, bubones, excrescentiae, dysuria acuta, atque chemosis. Inter proprios viris enumerantur haemorrhagiae urethrae, phimosis et paraphimosis ple-

rumque inflammatorius, nec raro oedematosus, *lymphatica* vasa super penis dorso inflata, atque duriuscula, testium tumor inflammatus, dysuria chronica, perinaei abscessus urina scatentes. Inter proprios foeminis recensentur uteri inflammatio, ejusque dependentium partium.

666. Genitalium phlegmonem, perinaei, et adjacentium partium tumores silentio premimus: siquidem alter Professor horum morborum a quibusque caussis dependentium disciplinas vos jam edocet. De bubonibus vero, atque de excrescentiis a gonorrhoico contagio proficiscentibus alibi dicemus. Nunc pauca de acuta dysuria, et ischuria gonorrhoica, de chemosi, de vasis *lymphaticis* inflammatis, de estium inflammatione, de chronica dysuria, de perinaei abscessibus urina scatentibus.

667. Gonorrhoica dysuria acuta aut morbus essentialis est, aut gonorrhoeae symptoma. In primo casu dysuria sistit in peculiari urethrae inflammatione phlegmonosa potius, quam erysipelatosa, aut catarrhali a gonorrhoico quidem contagio producta, sed absque fluxu muci puriformis, quam inflammationem tamquam gonorrhoeae speciem haud prorsus improprie considerant Pathologi, et siccam vocant; siquidem hujusmodi inflammatio urethrae et a gonorrhoico contagio producitur, et in veram persaepe gonorrhoeam abit. In altero casu ob gra-

vem gonorrhoeam vel fluentem adhuc, vel suppressam dysuria contingit, quae aequiore jure dicitur gonorrhoica.

668. Non difficile concipitur, quomodo in utroque casu et urethra, et partes ad hanc pertinentes inflammatione correptae aut dysuriam, aut ischuriam etiam producere valeant. Interior enim urethrae facies ob inflammationem tensa necessario praeterfluentem urinam aegerrime fert; adde etiam, quod urina, quae vesica concluditur, inflammatarum partium aestu majorem calorem, atque acrimoniam contrahat, proinde nil mirum, si ardor, atque dolor tunc difficilibus mictionibus comitentur, et ita vera fiat dysuria, quae in ischuriam persaepe transit, tum quia sive urethra, sive cowperianae glandulae, sive prostata, sive vesicae cervix ob inflammationem tumidae viam ejiciendo lotio angustant, atque praecludunt etiam, tum quia acer dolor, quem exiens urina infert, secundum notas sympathiae leges contractiones vesicae colli spasmodicas ciet, quae interturbare, imo identidem supprimere mictiones valent.

669. Persaepe suppressam, aut fluentem adhuc gonorrhoeam gravissima ophthalmia quandoque consequitur, cui nomen est chemosis gonorrhoica. Hanc alii sympathicam, alii metastaticam, alii inoculatam volunt. Postrema haec forsan opinio magis rationi

satisfacere videtur (1). Quidquid sit, quando alteruter, vel uterque oculus istiusmodi ophthalmia tentatur, quae quasi derepente contingit, et sui generis est, quaeque summum oculi periculum portendit, ita res se se habet.

670. Oculus, in quem morbus cadit, subrubet, subdolet, lacrymatur, ac distillat humorem solito copiosiorem, unde epiphora. Tota, et universa facies membranae conjunctivae, sive adnatae brevi intense dolet, rubet, et extumet ad altitudinem fide majorem, ita ut corneae area, quae labe immunis adhuc est, orbicularem foveam, sive hiatum graece χήμη referat, unde istiusmodi ophthalmia chemosis nominatur. Huic ingravescenti ophthalmiae vehemens febris, nec non capitis dolores comitantur.

671. Conjunctiva membrana in hunc modum tumens, et rubens carnis speciem ita exhibet, ut vere carnea esse videatur: innumera tamen extimae superficiei puncta, ceu totidem ostiola rorant guttulis frequentibus lymphae spissae, viscidae, subflavae, acris, mordacis, simillimae humori, qui in gonorrhoea e genitalibus defluit. Si morbus invalescat, angusta illa ostiola, quibus conjunctiva

---

(1) Doctoris Spangeberg observata hanc opinionem confirmant. Vid. Annali di Medicina straniera di A. Omodei fasc. n.º 2, anno 1814.

membrana acrem lympham puriformem exsudat, in phlictenas, et ulcuscula cito degenerant: unde rubor, calor, dolor, tumor conjunctivae membranae magnopere intenduntur.

672. Quum protuberans oculi globus superjectis palpebris contegi non amplius possit, necesse est ut continuo maneat semiapertus, et male conveniens, uti leporibus familiare esse diximus: inde nascitur id vitii genus, quod eapropter lagophthalmus vocatur. Ejusdem labis consors fit interna facies utriusque palpebrae, maxime vero inferioris, quae ideo non modo dolet, et rubet; sed etiam adeo extumet, ut extrorsum invertatur, et ita ectropium fiat.

673. Nisi praesenti malo praesens adhibeatur medicina, internae etiam oculi membranae gravi afficiuntur inflammatione, nedum cornea membrana noxam illam brevi concipiet, quae ipsi propria, ac sphaceli loco est, scilicet opaca fiet, et albescet in exteriore facie; exinde in tenues lamellas resolvetur, quae marcidae singillatim decident; quae vero reliquae supererunt pauciores in cornea lamellae a supposito humore aqueo extrorsum pulsae, nec non excitae ab irritante contagio, aut a jam confecto hypopio (1) paullatim intendentur,

---

(1) Hypopium ex ὑπὸ sub, et ὤψ oculus est puris effusio sub oculo, nempe sub cornea lucida.

explicabuntur, atque in utriculum fastigiabuntur aciniformem, qui staphylomatis nomen obtinet. Jamvero continget aliquando, ut superstites lamellae dehiscant tandem, ac tenui rima non modo humori aqueo, qui proximus subest, sed caeteris quoque humoribus viam quandoque amplificata rima patefaciant, unde humorum effluxus, oculi collapsus, atque visus amissio. Ex ista ipsa rima etiam iris interdum prorumpit, et extra oculum procidit, et prominet, quod vitium iridis procidentiam merito vocant Nosologi.

674. Ophthalmia gonorrhoica modo indicata multum differt ab ophthalmia luis venereae confirmatae symptomatica, quam etiam suo loco indicabimus; gonorrhoica nunquam hanc luem producit, sed plerumque multo vehementior contingit, quam syphilitica.

675. Viris, vigente gonorrhoea, non raro haemorrhagia succedit ex urethra, cujus sanguinea vascula lacerantur, dum tenditur mentula, eoque facilius, si veneri militet. Istiusmodi haemorrhagia plerumque parvi momenti est; siquidem facile per se supprimitur absque ullo chirurgico subsidio.

676. Quomodo phimosis, et paraphimosis eveniant, jam alibi innuimus (§. 642).

677. Peculiare gonorrhoeae symptoma est inflammatio vasorum lymphaticorum, quae ita in-

durescunt, ut sensilia, atque conspicua evadant praesertim in penis dorso, inque inguinibus usque adeo inferuntur in glandulas proprias aeque tumidulas, atque duriusculas: haec tum glandularum, tum vasorum *lymphaticorum* inflammatio facillime resolvitur, convalescente gonorrhoea.

678. Contingit frequenter iis, qui gonorrhoea laborant, ut testium alteruter primo, deinde uterque aliquoties tumeat, caleat, doleatque, uno verbo vere inflammetur. Hunc morbum testem gonorrhoicum nominare malumus, quam venereum, quo postremo nomine indiscriminatim eum vocant plerique Pathologi: siquidem testium tumor a gonorrhoea prognatus numquam fortasse confirmatam syphilidem progignit, et plurimum differt a tumido teste ob veneream luem confirmatam; tument enim testes in confirmata etiam syphilide, sed tumores isti sunt lenti, atque chronici; gonorrhoici e contrario semper celerrimi, valide inflammati, et acutissimi. Quod autem Clinicorum magis interest, diversam prorsus curationem exposcunt et hi testes gonorrhoici, et illi venerei, ceu inter se natura diversi.

679. Missis jam obsoletis doctrinis circa testis gonorrhoici aetiologiam, nostro aevo pro certo habemus, quando hujusmodi inflammatione corripiuntur testes in gonorrhoea, id evenire ob sympathiam; scilicet si urethrae gonorrhoica inflam-

matio protendatur ad veru montanum, ubi orificia ductuum deferentium, et canalium prostaticorum pertingunt, hi saepissime participes fiunt ejusdem inflammationis, quae inde aut per ductus deferentes ad testes usque propagatur, aut per prostaticos ad prostatam, prout primi, aut alteri sympathica irritatione afficiuntur.

680. Jamvero sicuti in catarrhalibus inflammationibus quidquid derepente effluxum supprimit, irritationem persaepe adauget, atque diffundit; ita quod gonorrhoicum effluxum subito reprimere, aut sistere valet, nec non quod directe vitales istarum partium proprietates nimium incitat, id omne in caussa est, cur testes inflammentur. Hujus census caussae sunt error in victu, praesertim crapula (1), veneris usus, vigiliae nimium protractae, violenta exercitia, equitationes prae primis, drastica remedia, balsamica etiam, vigente adhuc inflammatione, exhibita, nimirum adstringentes injectiones, subitum frigus, morbi quidam adventitii, uti febriles, et nervosi, funiculi spermatici distractiones puta ab uno testium pondere, aliaque demum similia.

681. Testis inflammationem praenuntiant hujusmodi indicia, nimirum fluxus gonorrhoicus, vi-

(1) Crapula κραιπάλη comessatio ex κάρα caput, et πάλλω agito, quia in comessatione caput vere agitatur.

gente adhuc inflammatione, subito repressus, aut omnino detentus; sensus ardoris in urethra adauctus, maxime dum urina emittitur; dolor funiculi spermatici cum in abdomine, tum in scroto, quidam molestus sensus, quem aegroti experiuntur in testis intima substantia, ac si haec a centro extrorsum torqueretur; epididymi dolor, atque duriuscula inflatio. Intensus demum testis dolor, atque dura inflatio ejus inflammationem patefaciunt. Hinc gravia inflammationis symptomata *localia*, et *constitutionalia* plerumque consequuntur.

682. Violentas, repetitas, neglectas gonorrhoeas chronica dysuria saepissime consequitur, in qua non pleno alveo, non fluxu aequabili, atque continuo, sed filo tenui, saepius interrupto, et bifido urina redditur; nec motu facili longe prosilit, sed vix distillat, aut defluit conatu maximo, nec potest in vesica absque incommodo diu contineri, sed molesta, et crebra stimulatione ad mingendum sollicitat.

683. Ista tamen mala, quamdiu modum tenent, tolerabilia sunt. At si Baccho, Venere, violento exercitio, equitatione speciatim, vigiliis, acriori victu, vehementioribus animi motibus exacerbentur, calere, dolere, reniti perinaeum incipit; assidua quidem fit micturiendi incitatio, sed conatu etiam maximo vel nihil, vel pauxillum mucosi lotii ex-

cernitur; urina tandem omnino supprimitur, et sic consueta dysuria chronica in acutam, et in ischuriam abit, uti crebris observationibus compertum est. Tunc febris accenditur, tumet, dolet, tenditur vesica ultra modum plena; exinde quandoque vomitio, quandoque sudor urinam redolentes accidunt, ac funestus ischuriae exitus brevi consequeretur, nisi mirifica Chirurgia summis istis malis promptissime subveniret.

684. Perseverat ischuriae vehementia per longius, vel brevius temporis spatium pro caussarum vi, pro aegri temperamento, pro ejus vivendi genere, pro curationis ratione. Sed si morbus remittatur, urina primo stillatim guttis raris, et parvis, deinde guttis grandioribus, et frequentioribus, demum filo tenui, interrupto, aut continuo rursus prodit. Tunc ubi primum, procedente morbi resolutione, spastica partium contractio relaxatur, solent per aliquod tempus mucosae, puriformes emitti urinae, quae in dies ad naturalem conditionem accedunt, et ita ischuria in pristinam revertit chronicam dysuriam, quae denuo in alteram ischuriam ob levissimas etiam caussas serius ocyus abiret, nisi apposita curatione illi mederetur Chirurgus.

685. Haec dysuriae species plerumque producitur a variis obicibus urethram obsidentibus, in quorum censu numerantur 1.° quaedam urethrae constrictio

durabilis; 2.° carunculae, tubercula urethrae; 3.° veru montanum praetumidum; 4.° prostatae, antiprostatae inflatio; 5.° durae cicatrices urethrae. Quomodo autem urethra a gonorrhoico contagio inflammata ejusmodi malis occasionem praebere valeat, non est intellectu difficile, quando bene inflammationis origo, progressus, exitus innotescant. Haec dysuriae species foeminis rarissima est; non vero ab iis prorsus aliena.

686. Si autem in dysuriam etiam chronicam opportuna, atque apposita curatio non adhibeatur, aut prorsus negligatur, vel perseverante, vel saepe revertente chronica inflammatione urethrae, mucosa etiam vesicae membrana primum simili inflammatione corripitur, crassescit, dein tota vesica horum malorum particeps fit. Hinc vesicae constrictio; frequentes mictiones; frequentiores mingendi conatus; pyuria; recurrentes dolores in vesica, in funiculo spermatico, in testibus, in balano; tenesmus; crebrae alvi dejectiones, a quibus pathemata omnia admodum exasperantur; spasmodicae affectiones variae. Quae mala licet non celeri, lento tamen cursu vitam miserrime finiunt.

687. Istiusmodi urethrae obicum sat crebro sequaces sunt perinaei tumores circumscripti sive chronica, sive acuta inflammatione prognati, qui raro resolvuntur, saepe in suppurationem abeunt.

Nostrum non est speciatim de hisce tumoribus sermonem facere. Nonnulla dumtaxat dicemus de modo, quo et abscedunt, et plerumque urina scatent illi tumores, qui aut prostata, aut cowperianis glandulis, aut bulbosa urethrae parte, aut ejus lacunis, aut textu cellulari urethram adjacente insident, et in regione urethrali tum mentulae, tum scroti, tum perinaei prominent.

688. Urethra utplurimum post gonorrhoeas, aut ob chronicas inflammationes ab illa prognatas lente exulceratur, et circumscriptum tumorem primitus urina conflatum progignit, aut dum pus conficitur in tumore jam ad urethram existente, haec pariter exeditur, adeo ut in utroque casu urina sub mictionibus praesertim difficilibus assidue permeet, et in circumpositis partibus tumorem efficiat, aut jam existentem usque adaugeat, et ita abscessum urina commixtum producat. Hinc pus pro loci ratione, pro ejus qualitate magis, vel minus acri sinus sibi cudit varios inter circumpositas partes: quin etiam non raro videre est istiusmodi cuniculos in urethra, et in perinaeo multiplicatos, imo autem pertusis recti intestini tunicis in podicem apertos, ita ut urethrae principio, et recti intestini extremitate communicantibus cum perinaeo per latentes vias urina, pus, faeces alvinae liquidiores, flatusque ex urethra, podice, et

perinaei fistulosis apertionibus promiscue excernantur.

689. Hic animadvertere refert, quandoque ob indicata impedimenta, atque ob frequentes mingendi conatus uno ictu disrumpi membranaceam urethrae partem, et urinam illico effundi in textum cellularem scroti, pelvis, lumborum, coxarum, crurum, adeo ut istae partes praetumidae quasi momento temporis evadant, et subito periculosissima corripiantur gangraena usque progrediente. Quandoque accidit, sicuti nos observatio docuit, ut, hoc modo disrupta urethra in bulbi forsan viciniis, urina in universam bulbosam urethrae substantiam, proinde et in balanum larga irrumpat, ut primo praetumidum colem, ac pertensum faciat; deinde scrotum etiam, aliasque circumpositas partes; postremo vel remotiores. Tunc majus vitae periculum imminet (1).

---

(1) Consul. Traité des maladies vénér. par Jean Hunter, traduit de l'anglais par le Docteur Audiberti, etc. Nunc temporis Archiater Augustissimi Regis nostri, atque Reginae; Medicinae professor emeritus; Rei medicae universae praeses; De sexviris publicae sanitatis servandae; Regiae Scientiarum Academiae Taurinensis propraeses; Exercituum, classiumque medicus generalis; Vaccinationum supremus moderator; Comitis titulo, dignitateque honestatus, etc., pag. 152, édit. de Paris 1787.

690. Istiusmodi abscessus diximus esse viris peculiares, sed mutatis mutandis non adeo dissimiles accidunt et mulieribus: in his enim urethrales lacunae, nec non circumpositum textum cellulare ob gonorrhoeas aliquoties abscedunt, et pus etiam sibi viam sensim parat vel in urethram, vel in vaginam, vel in podicem, et sinus, ac fistulae pari modo producuntur; sed raro urethra exeditur, et longe rarius idcirco hujusmodi abscessus urina scatent, quam in viris. Foeminis praeterea uterus, Falloppii tubae, ovaria contagio gonorrhoico etiam afficiuntur, vigente praesertim gonorrhoea, uti nobis observare contigit, adeo ut foemineae illae partes haud aliter ac testes in viris inflammatione gonorrhoica sympathice corripi possint.

De excrescentiis.

691. Excrescentiarum nomine hic intelligimus tubercula ob similitudinem cristas, fraga, mariscas, mora, condylomata (1), aliisve nominibus vocata,

---

Consul. etiam: Sistema di Chirurgia operativa di Carlo Bell: tradotto dall' inglese, e corredato di note dal professore Giacomo Barovero, tom. I, sezione seconda, pag. 167, e seguenti.

(1) Condyloma κονδύλωμα a κόνδυλος nodus digitorum est carnis excrescentia callosa, quae prominet instar nodi hujusmodi.

quae plerumque in obscoenis partibus a syphilitico contagio progignuntur. Quum parum referat eorum forma, atque similitudo, protinus ad momentosa descendimus.

692. Hujusmodi tubercula, sive excrescentiae a venereo seminio cum recens excepto, tum intus jam admisso producuntur; quandoque a gonorrhoico humore procedunt; quandoque etiam ne syphiliticae quidem sunt istiusmodi excrescentiae: enimvero ante syphilidis adventum jam ab hisce morborum formis cinaedi homines vexabantur, uti patet ex hisce JUVENALIS versibus (1).

. . . . . . Quis enim non vicus abundat
Tristibus obscoenis? Castigas turpia, cum sis
Inter Socraticos notissima fossa cinaedos.
Hispida membra quidem, et durae per brachia setae
Promittunt atrocem animum; sed podice laevi
Caeduntur tumidae, medico ridente, mariscae.

Haec omnia sunt bene perpendenda, atque discernenda in clinice, ut recta excrescentiarum curatio instituatur.

693. Syphiliticum contagium ad partem, in qua istiusmodi tubercula excrescunt, advehi potest vel a sanguine, et lympha jampridem infectis, vel illic novissime deponitur. Tunc illius partis vim

(1) Satyr. 2.

vegetativam, ut ita dicam, hoc contagium sollicitat, adeo ut in dies paullatim excrescant tubercula, atque promineant modo in cristas, modo in mariscas, modo in fraga, modo in condylomata, etc., prout diversae sunt affectae partes, nec non prout varia loci adjuncta poscunt.

694. Haec plerumque tubercula adnascuntur circa balanum, in praeputio, in vaginae ostio, in externa, internaque vulva, in podicis viciniis, nec non in ore, in meatu auditivo, in naribus, alibique. Hujusmodi excrescentiae modo sunt molles, flaccidae; modo durae, rigentes, quasi callosae; modo laeves; modo asperae. Per se inflammationis expertes sunt, proinde cuti concolores, minimeque dolentes. Sed non raro aut sponte, aut quavis irritante caussa inflammantur; quandoque carcinomatosam indolem adipiscuntur.

695. Excrescentiae in genitalibus aliquoties exulceratae sunt, nec raro cancris consociantur; in ani autem viciniis facillime rhagadibus comitantur. Si distractione, contusione, pressione, contrectatione, cathaereticorum usu, faecum alvinarum duriorum asperitie, vel earumdem liquidiorum acrimonia nimium irritentur, coërcita, interturbata, prae dolore, sanguinis circuitione, inflammabuntur magis, vel minus intense pro vario aegroti temperamento, aetate, diathesi. Inflammatio vero aut celeri resolutione

evanescit, aut ei suppuratio succedit, inde abscessus, ulcera, fistulae; quandoque etiam in gangraenam abit; verum si excrescentiae sint durae, quasi scirrhosae in carcinomatodes degenerare possunt. Quamdiu excrescentiae inflammatione, ac exulceratione vacant, non admodum partis muniis officiunt; contra vero si inflammatae, suppuratae, exulceratae sint, prohibent, quominus ea membri munia nisi aegre exerceantur.

De bubonibus.

696. Bubones venerei sunt glandularum *lymphaticarum* tumores a syphilitico contagio prognati, duri, renitentes, dolentes utplurimum, et ad suppurationem lente tendentes. Si bubonis etymologiam spectemus, hoc nomine tantummodo essent designandi tumores glandularum, quae in inguinibus latent: βουβὼν enim graeca vox significat inguen, unde *bubones* dicti fuere; sed Nosologi *bubonem* venereum etiam vocant quamcumque *lymphaticam* glandulam syphilitici contagii caussa tumidam. Bubones vocantur pani a CELSO; in alis, et in brachii flexu dicuntur *ancones*: ἀγκὼν enim tradunt proprie esse locum flexus brachii: syphiliticus bubo, maxime si exulceratus sit, *cambuca* appellatur a PARACELSO.

697. Clinicae utilitatis gratia praestat bubones

distinguere in primarios, et secundarios. Primarios intelligimus, qui a syphilitica contagione nondum in universam humorum circuitionem admissa producuntur; secundarios autem dicimus, qui ab eadem contagione jam absorpta, et intus per universum corpus longe, lateque circumeunte dependent. Primarii rursus dividendi sunt in idiopathicos, et symptomaticos: *idiopathicos* vocamus, qui adeo per se extant, ut nulli alii nec adsint, nec praecesserint morbi, a quibus procedant; *primarios symptomaticos* dicimus, qui alteri praesenti, aut vix praecedenti morbo primario adjunguntur, aut proxime succedunt, ceu ab hoc dependentes vel primae absorptionis, vel sympathiae caussa. Inter bubones secundarios alii ab uno syphilitico contagio jam intus admisso, et longe, lateque per corpus circumeunte proxime producuntur; alii symptomatici esse quoque possunt cujusdam *localis* morbi, nimirum quando aliis secundariis morbis localibus adjunguntur, aut succedunt etiam ceu ab hisce proxime dependentes, haud aliter ac dictum est de symptomaticis primariis. Clinicorum etiam discernere refert bubones vel a cancris, vel a gonorrhoeis provenientes ob id, de quo sat diximus (§. 649): nempe multum fortasse differre gonorrhoeae virus a viro cancri.

698. Differunt etiam bubones tum ob qualitatem,

quam prae se ferunt, tum ob exitum, quem varium habent. Ob qualitatem alii multum dolent, calent, pulsant, renituntur, et *phlegmonodes* nuncupantur; alii vero modice calent, dolent, pulsant, renituntur, immo potius molles prementis digiti vestigia et admittunt, et servant, hi *oedematodes* dicuntur; alii denique doloris, caloris, pulsationis expertes, duri sunt, valde renituntur, et *scirrhodes* vocantur. Ob exitum alii vel sponte, vel remediorum, quae adhibentur, vi sensim resolvuntur, et evanescunt; alii vero in suppurationem abeunt, ac, semel educto pure per apertionem cauterio, vel incisione paratam, facile cicatricem obtinent; alii demum emollientium, et maturantium vim prorsus eludunt, et duri, ac renitentes perdurant.

699. Infecta venereo contagio lympha, dum glandulas init, harum vitae proprietates excruciat, sollicitat, magis actuosas reddit, ita ut tumultuosa humorum circuitio fiat per capillaria vasa. Hinc aut lentae, aut celeris inflammationis glandularum initium: glandulae autem, dum hoc modo excruciantur, ac tument, distrahuntur etiam, nec distrahi possunt, quin magis magisque doleant pro tumefactionis modo, ac impetu; illae praeterea novo sanguinis, ac lymphae appellentis aggestu in dies usque debent sensim inflari, donec tandem vis, qua glandulae ulteriori dilatationi resistunt, aequalis

sit momento, quo appellentes humores eamdem moliuntur. Sic ergo debet bubo excrescere, indurari, extrorsum prominere in fastigium, ac protendi juxta glandulae magnitudinem, stipationem, situm, nec non adjuncta varia.

700. Si intensae inflammationis notis glandula, nec raro circumjectus cellularis textus signetur, *phlegmonodes* bubo vocatur, licet cutis superposita sat crebro inflammationis prorsus sit expers. Si glandula lente tumeat, si debili inflammatione afficiatur, si haec immo intermissa, aut cessata tumidam linquat glandulam, per quam novi usque lymphae rivi transgredi non facile possint, tunc glandula ipsa, nec non circompositus textus cellularis quodammodo oedematosa evadunt, ideoque bubo *oedematodes* dicitur. Si demum terminata prorsus chronica, aut acuta inflammatione, a qua originem semper ducit bubo, vitae vires in glandulis usque languescant, si crassus sanguis crassam etiam lympham iisdem suggerat, si haec lentissimo procedens gradu in glandulas pedetentim congeratur, bubo hoc modo productus erit *scirrhodes*, durus scilicet, et renitens, dolorisque expers.

701. Bubo phlegmonodes, licet quandoque resolutioni obsequatur, plerumque tamen in suppurationem est pronus; oedematodes non difficili negotio resolutionem obtinet; suppurationem persaepe ex-

pungit; utramque difficilius nanciscitur scirrhodes, qui aliquoties in dies magis, magisque induratur, adeo ut non tam raro in scirrhum proprie dictum abeat, subindeque in carcinoma. Gangraena etiam bubonibus non semper parcit, quae quotiescumque eos attingit, praecipue exquirendum est, an syphilitici contagii vehementia, an valde intensa inflammatione, an aegroti diathesi, an cujusdam miasmatis additamento, an compluribus hisce complicatis caussis dependeat, ut recta, aptaque gangraenosi bubonis curatio instituatur.

702. Sinus, fistulae, chironiaque (1) ulcera quandoque bubonem consequuntur: de hisce proinde nonnulla subdemus. Bubonem igitur suppuratum, atque apertum si non apta curatione Chirurgus prosequatur, detersis, et coalescentibus illius labris, et ita constricta apertura, bubo abire potest in sinum, vel in fistulam, quorum multiplex est differentia. Bubones igitur sinuosi, et fistulosi differunt

1.° Ratione apertionis, quae modo sat ampla est,

---

(1) Chironium ulcus sic dictum a Chirone, qui primus talia ulcera sanasse dicitur. Hoc nomine vocarunt veteres ulcus oras duras, callosas, tumentes gerens, inveteratum, malignum, aegre ad cicatricem ducendum. Idem ulcus dicitur et telephium a Telepho, qui vulneratus ab Achille tale ulcus consecutus est. Dicitur demum achilleum ex vulneratore Achille.

atque hians, modo angusta, et ideo vel crusta, vel tenui pellicula interdum obducitur;

2.° Ratione sinuum, qui intus latent lati aut angusti, plures aut pauci, superficiales aut profundi, recti aut flexuosi;

3.° Ratione glandularum, quae aut jam detumefactae sunt, aut tumentes adhuc, aut et induratae;

4.° Ratione reconditi ulceris, quod vel acutum, vel chronicum, vel detersum, vel sordidum est;

5.° Ratione humoris, qui inde fluit vel paucus, vel copiosus, vel purulentus, vel saniosus, vel ichorosus;

6.° Ratione callorum, qui sinuum oras, ac latera obsident, aut non, quique magnitudine, extensione, duritie plurimum variare possunt.

Sinus, fistulasve hujusmodi neglectas praesertim, vel inepte curatas facillime consequuntur chironia bubonum ulcera, videlicet gerentia oras duras, callosas, tumentes, plerumque eversas, superficiem lardaceam, luridam, fundentia pessimos humores, aut arida, et curatu difficillima.

703. Potest quidem apertus bubo in ulcus sordidum chironium abire unice ob quamdam ex cachexiis, potissimum vero ob seminii syphilitici vehementiam, unde mali, vel pessimi ingenii pus suggeritur; in fistulam autem nunquam, nisi ob medentis, aut aegroti quamdam incuriam, atque inscitiam, scilicet:

1.° Si bubo suppuratus angustiore, quam par est, foramine aperiatur sive per scalpellum, sive per cauterium (1); inde enim, educto pure, quum ulcus superstes reconditum nec oculis, nec remediis satis sit obvium, facile non est et ea, quae intus geruntur, perspicere, et iisdem mederi. Quamobrem ulceris interiora sordida remanent, dum labra, quae remediorum viribus magis patent, melius detersa ad coitionem properant, unde sinus, fistulaeve generentur necessum est;

2.° Si abscessum, utcumque hic lata plaga sit apertus, ad cicatricem citius tendere incautus Chirurgus permittat, nondum perfecte suppuratis, detersisque tum glandulis, tum adjacentibus textibus, sinus, fistulaeve etiam generentur necesse est: siquidem experientia notum est, nec ulcus perfecte unquam curari, nisi prius bene detergatur, nec ulcus bene unquam detergi, quandiu suppuratae glandulae frustulum quodvis, aut adhaerescentium membranarum lacinia intus remanserint ob suppurationem nondum decidua;

3.° Si male providus Chirurgus minime advertat, pus ex suppurata altera adstante glandula, aut ex suppurato aeque textu cellulari glandulas interjecto

---

(1) Cauterium καυτέριον, quod urendi vim habet a' verbo καίω uro.

in ulceris fundum latenter instillari, cui jugi purulentae materiei scaturigini nisi occurrat perspicax, atque consideratus Chirurgus absconditas vias statim aperiendo sive scalpello, sive cauterio, ulceris cicatrix nunquam coit, utcumque labra ad cicatricem tendere videantur, sed reconditum ulcus in sinum, aut fistulam necessario est desiturum.

Ex dictis facile est concipere quomodo sinus, fistulaeve, chironiaque ulcera bubonibus contingant; quomodo hisce sit subveniendum, ne illa ingravescant mala, quae potissimum avertuntur, atque curantur in inguinibus a fascia *spica* dicta, nec non generatim aliis in locis a comprimentibus fasciis apposite, opportuneque adhibitis, uti satius, clariusque in clinice aperiemus.

704. Bubones praeterea, quos scirrhodes ob analogiam nominavimus, in scirrhum proprie dictum vergunt, adeo ut in cancrum etiam quandoque convertantur. Tunc vel imminutus tumor lapideam nanciscitur duritiem; unica licet tumeat glandula, tuberosus tamen bubo evadit; tumoris tegumenta naturalem primitus servant colorem, nec non universa bubonis massa ferme doloris expers remanet; ingravescente postea morbo, bubo lancinantibus doloribus excruciatur, rubescit, livescit, et in cancerosam exulcerationem abit, vel si ulcus jam extiterit, hoc veri cancri notas obti-

net, videlicet hisce modis apertum carcinoma ichorem mali odoris, acrem, rodentem fundit; odoris foeditas in dies augetur; orae ulceris evertuntur; proxima cutis fit tumida, dura, scabra; putris etiam caro ulcere excrescit, quae multum quandoque extumet; acutissimus, acerbissimusque dolor aegrum die, ac nocte fatigat, et vexat, uno verbo carcinoma in pejus usque progreditur, uti jam diximus (§. 362, et seq.)

705. Incassum exquireremus ob quasnam certas caussas bubones scirrhodes in vera carcinomata terminentur: densissimis enim tenebris carcinomatis caussae obvolvuntur, nihilque de hisce certi scit hucusque Medicina. Verum ut hanc pessimam bubonis terminationem, prout fert medendi scientia, devitare pernoscamus, satis erit animadvertere id saltem omne, quod nobis clinicae observationes aperiunt. In scirrhum, et carcinoma proni fiunt bubones scirrhodes ob non promotam suo tempore resolutionem, aut suppurationem; ob diutinam eorum incuriam; ob assiduos, et graves in rebus diaeteticis errores; ob neglectam, aut malam sinuum, fistularum curationem; ob deficientes vitales proprietates fartae glandulae; ob deprimentium topicorum abusum, adeo ut vitales glandulae vires ne amplius quidem resolutioni, et suppurationi sufficiant; ob topica remedia nimis calefacientia, irritantia incaute, et

diutine adhibita; nec non ob praeposterum escharoticorum usum; ob lymphae crassitiem primariam, aut secundariam, quae continuo in glandulam impacta, ibique remorata in dies usque duriorem glandulam, vicinioraque texta necessario reddit; sed fortasse non nisi ob aegroti diathesim, sic dicemus, cancerosam, cujus caussae tum proximae, tum antecedentes prorsus etiamnunc latent.

De syphilide secundaria.

706. Jamvero de syphilide secundaria, sive de lue venerea confirmata, qua non una, aut altera corporis pars, non una, aut altera oeconomiae animalis functio laedi solet; sed qua singuli fere loci, nedum partes corporis nostri inficiuntur, et singula vitalium partium munia perverti possunt. Tam late patet igitur mali natura, et tantam symptomatum congeriem complectitur, ut non tam unicus morbus, quam morborum iliades esse videatur. Quocirca hujusmodi lues vix arctis definitionis cancellis comprehendi posset; proinde multo satius hic erit accurata recensione, et descriptione symptomata potissima, seu potius morbos secundarios, quos illa producit, uno aspectu subjicere. Verum ut omnia, et singula quodam ordine exponamus, opportunum ducimus morbos, qui partes vitiant,

distinguere a morbis, qui functiones laedunt; nec non utrosque revocare ad diversa, et propria capita pro diversitate partium, vel functionum, ad quas illi pertinent.

707. Morbi partium genitalium, siqui jam praecesserint, et dudum curati fuerint, integrascunt. Hinc ob luem veneream confirmatam producuntur absque ulla nova caussa in genitalibus ulcera cancrosa, porri, verrucae, condylomata, papulae in scroto praesertim; juxta anum fraga, fici, mariscae; in inguinibus pani, sive bubones; in testibus tumores multifarii, sarcocele praesertim, et hydrocele. Sin nulli autem antecesserint in partibus genitalibus morbi *locales*, ibi novi plane, ac insolentes accidere possunt ob luem veneream jam confirmatam. Hinc quotidie observare est in ista confirmata lue genitales partes affici morbis *localibus*, qui nondum eas vexaverant ante hac syphilide secundaria, si unam excipias gonorrhoeam virulentam, « quam (haec sunt Astruc ipsissima « verba) a sola confirmata lue, et absque novo « impuro concubitu produci, nec unquam ipse « observavi, nec a quoquam observatam fuisse me- « mini » : huic sententiae nos quoque adstipulari compellimur. Gonorrhoea tamen a morbis rheumaticis, arthriticis, a quibusdam febribus quasi critica quandoque succedit absque ullo, nedum

impuro concubitu. Hanc gonorrhoeae speciem reapse contingere, nos compluribus observationibus freti omni asseveratione affirmamus. Si lue confirmata jam infirmos novi prorsus genitalium morbi a nova caussa producti aggrediantur, hi quidem graviores, maligniores, ac pertinaciores succedunt. Quod est haud difficile captu, siquidem isti tunc morbi duplici contagione syphilitica foventur.

708. Multigenis vitiis, ac morbis affici potest cutis ob confirmatam syphilidem. Qua late patet extima cutis, sed praesertim in dorso, pectore, abdomineque variatur maculis ephelidum instar planis, sed sat amplis, non extuberantibus, raro roseis, vel purpureis, saepe saepius flavis, luridis, aut livescentibus, modo parvis, discretis, circularibus, modo latius diffusis, expansis, atque confluentibus.

709. Tentatur ipsa cutis scabiei specie, seu forma, pustulis multiformibus, herpetibus variis, videlicet siccis, fluentibus, furfuraceis, miliaribus, exedentibus. Manuum volae, pedumque plantae finduntur in rhagades duras, callosas, prurientes, ichore tenui manantes, et hinc suffossa cuticula, soluto mutuo nexu a subjecta cute, secedit lancinata instar exuviarum.

710. Cutis etiam infestatur tuberculis duris, callosis, circularibus, non fastigiatis, summa parte ulcerosis, plerumque siccis, et sine pure, sed ali-

quando fluentibus, squamosis, furfuraceis, flavis, quae frequenter occurrunt in labiorum commissuris, alisque nasi, praesertim circa frontem, et tempora, poneque aures coronamenti instar, unde iis tuberculis ita dispositis apud vulgum nomen est Veneris corona. Inde totum capillitium, caeterasque corporis partes, maxime si pilosae sint, hujusmodi tubercula invadunt.

711. Glabrescit caput capillorum defluvio: unde alopecia, calvities, vel glabrae circumscriptae areae et in temporibus, et in occipite contingunt. Propriis etiam pilis nudantur supercilia, genae, mentum, inguina, pudenda, aliaeque partes.

712. Ungues demum, qui externae cuticulae appendices sunt, inaequales, crassi, scabri, quasi rugosi fiunt; et lente obortis ad radices reduviis, quas paronychias, vel paneritia vocant Pathologi, et in mala ulcera abeuntibus, ipsi ungues decidunt.

713. Male habent se se oris, faucium, narium interiora ob confirmatam syphilidem: uvula, sive columella, tonsillae, totumque faucium lacunar dolent, calent, inflammantur, ulcere depascuntur, cariesque inde adsitis ossiculis palatinis communicatur, qua brevi exeduntur partes illae. Tubercula, et pustulae palato innascuntur, quae in ulcera ro-

funda cacoëthica (1), phagedaenica (2) degenerant, quibus palati osseus fornix non numquam ad nares usque perforatur. Gingivae aphthis, parulidibus, ulceribus eroduntur, unde dentes dolent, vacillant, cariosi evadunt, atque decidunt.

714. Membrana pituitaria simili labe infecta vel in polypos fungosos, ulcerosos, callosos, carcinomatodes extuberat; vel phlyctenis compluribus in ozaenas (3), seu malignas exulcerationes desinentibus conflictatur, unde spongiosa narium ossa, ossa bina triangularia nasi, vomer, aliaque finitima ossa ob cariem erosa corruunt, vel absumuntur cum deformi nasi depressione. Ex tam multiplici organorum laesione, quae loquelae serviunt, vocis immutatio, raucitas, aphonia, vel paraphonia necessario proficiscuntur; ex corruptis, ulceratis putrescentibus locis, quibus ducitur spiritus, videlicet naribus, faucibus, ore foetentes halitus etiam consequuntur.

---

(1) Cacoëthicus κακοήθης malignus ex κακὸς malus, et ἦθος mos, videlicet mali moris.

(2) Phagedaenicus φαγέδαινα dicitur de ulceribus, quae semper majora, et deteriora fiunt partes usque depascendo: a verbo φάγω depascor.

(3) Ozaena ὄζαινα foetidum ulcus narium, vox derivata a verbo ὄζω oleo.

715. Syphilide confirmata laborantium oculi variis etiam morbis vexari solent. Palpebrae non raro densae, asperae, rubrae, pruriginosae, lippae, callosae, ulcerosae, ficosae, muco puriformi fluentes, et cancerosae fiunt; quandoque verrucis, hordeolis, grandinibus obsidentur. Adnata, sive conjunctiva oculi membrana tenetur aliquoties ophthalmia persaepe chronica, contumaci, diuturna, oedematosa, inflammatoria, ulcerosa, quae comitem habet epiphoram continuam, acrem, salsam. Cornea nubeculis, seu albuginibus offuscatur, vel pustulis, phlyctenis, ulcusculis eroditur, quae aut uveae procidentiam producunt, aut staphylomati opportunitatem praebent. Vitreus oculi humor inspissatur, unde glaucoma consequitur. Crystallinus, unde suffusio, seu *cataracta.* Aqueus, unde multiplex pilorum, villorumque per aërem volitantium species in oculo repraesentatur. Caruncula lacrymalis, quae in oculi cantho (1) interno latet, nimium excrescens encanthitidem, pterygium producit. Ulceratus lacrymarum saccus fistulam. Iris, et uvea suppuratae hypopium producunt.

716. Neque aures ab ista labe vacant. Frequen-

---

(1) Canthus *κανθὸς* oculi angulus sic dictus a *κνήθω* frico: oculi enim angulus saepe fricatur ob id, quod saepe prurit: ibi revera mordax humor facile influit.

26

ter adest sine ulla alia manifesta caussa sibilus, tinnitus, murmur, surditas. Aurium externae, internaeque partes, nempe externa concha, meatus, cavitas tympani, sinus mastoidei (1), ductus semicirculares, cochlea (2), labyrinthus (3) dolent, inflammantur, abscedunt, exulcerantur cum dolore atrocissimo intolerando. Carie exeduntur ossicula, quae auditioni serviunt, malleus videlicet, incus, stapes, os orbiculare, osseusque aurium fornix. Lymphae species, pus, sanies, ichor defluunt ex alveario, et interiore aure, quasi ex fistuloso sinu cum foetore summo, et ferme cadaveroso.

717. Dolores frequentes, acuti, atroces noctu, et in cubili praesertim saeviunt, dum corpus stragulis incaluit. Ipsi natura, gradu, loco variant: modo distrahentes, modo pungentes, modo pulsantes, modo lancinantes sunt; isti quidem aut partes musculosas, membranaceas excruciant, et rheumaticorum dolorum naturam referunt; aut ten-

---

(1) Mastoideus *μαστοειδὴς* mammae similis ex *μαστὸς* mamma, et *εἶδος* species, videlicet *μαστοειδὴς* referens speciem mammae.

(2) Cochlea *κόχλος* concha a verbo *κόχλω* gyro, circumeo.

(3) Labyrinthus *λαβύρινθος* locus multis viarum ambagibus inflexus.

dines, et ligamenta, quae articulos ambiunt, et arthritidem, aemulantur; aut musculos, articulosque simul, et rheumatico-arthriticorum ingenium simulant.

718. Inter caetera syphiliticorum dolorum genera peculiari appellatione designantur dolores *ischiatici*, quibus partes ossi ischio adsitae, totaque coxendix externa discruciantur; lumbago etiam, qua lumbi, lumborumque musculi; sed praesertim dolores *osteocopi* (1), quibus ossa ipsamet in eorum diaphysi speciatim adeo dilaniantur, ut quasi frangerentur, aut terebra perfoderentur.

719. Caeterum partes venereis doloribus affectae quandoque dolent, et calent citra tumorem, et inflammationem; contra vero aliquoties tument, inflammantur, et in suppurationem abeunt, nisi apposita curatio illis subveniat. In pari quoque inconstantia modo fixi sunt syphilitici dolores, et permanentes, modo vagi, et errantes.

720. Ossa multiplicibus aliis noxis patent ob confirmatam syphilidem: in media, et densissima parte extument ossa, atque prominent in exostoses majores, minoresve, modo submolles, et quasi

(1) Osteocopus *ὀστεοκόπος* ex *ὀστέον* os, et *κοπὴ* incisio, contusio. Hinc dolor osteocopus est ille, in quo os quasi inciditur, contunditur; vel ex *κόπος* labor, molestia, veluti ossis molestia.

pulposas, modo renitentes, et vere osseas, quae aut atrociter, aut tolerabiliter dolent, imo vero aliquando haud dolentes sunt. Illà ad extremos fines, ubi minus densata, ac perinde spongiosa sunt, lento, et tacito augmento sensim dilatantur, et intumescunt tota quidem mole, sed inaequali tamen modo pro inaequali compagis densitate, unde articulorum, ad quos illa ossium capita pertinent, tumor, dolor, ad motus impotentia anchylosis, etc.

721. Carie etiam tentantur ossa cum in externa parte, tum in interna, videlicet in meditullio: universalis quasi caries quandoque totam ossium compagem labefactat, unde fragilia, et exesa ferme ossa levissimo, ac fere nullo conatu dissiliunt, et confringuntur. Imo etiam observatione in demortuis compertum est, medullares ipsas membranas, quibus ossium cava integuntur, nonnunquam suppuratas, ulceratas esse, quod sat, superque testatur, ab hisce morbosis affectionibus atrocissimos, et vere osteocopos dolores in illis viventibus fuisse productos, nec non caries in interna ossium cavitate. Constat quoque observatione, ossa seminio venereo, quo alte imbuuntur, aliquando ita mollescere, ut cerae instar inflecti, comprimi, et in angustius spatium redigi possint; quin imo semel ita emollita singulis, et omnibus partium mollium morbosis af-

fectionibus facilius patere, puta inflammationi, suppurationi, consumptioni, gangraenae, etc.

722. Lympha syphilitico contagio jam longe lateque diffuso infecta brevi id vitii communicat et vasis, quibus continetur, et glandulis, quibus elaboratur, et partibus, quas uberius alit. Hinc vasa *lymphatica*, nec non glandulae ejusdem nominis, sive conglobatae mole auctae, et induratae efficiunt tumores varios, duros, mobiles, circumscriptos, strumosis tumoribus simillimos in collo, axillis, inguinibus, mesenterio, etc. Dilatata, expansa, crassa vasa *lymphatica*, et haerente spissiore lympha turgentia constituunt tumores gummosos, vel alios membranea cystide conclusos, hic et illic insidentes, qui pro contentae materiei qualitate, colore, crassitudine ateromata, steatomata, meliceride appellantur. Coacta demum, haerens, et indurata lympha intra villos membranearum, tendinearumve partium, quas nutrit, nodos in tendinibus, in horum capsulis ganglia, in nervis tubercula, tophosque in articulorum ligamentis, et capsulis producit.

723. Functiones ipsae ferociam syphilitici contagii per universum corpus circumeuntis serius ocius experiuntur, quae laedi solent multiplici vitio, nimirum auctione, imminutione, abolitione, depravatione.

724. Functiones animales laeduntur capitis gra-

vitate, cephalea externa, internave, clavo, hemicrania, vertigine simplici, vel tenebricosa, epilepsia, spasmo, motibusque spasmodicis, tremore artuum, hemiplegia, paraplegia, paralysi, hydrocephalo, insomnio contumaci, vel ipsa insania (1).

725. Functiones vitales pervertuntur dyspnoea, asthmate, orthopnoea, haemoptysi, tussi sicca, humidave, vomica, phthisi, cordis tremore, palpitatione, aneurysmate, syncope, lipothymia, asphixia, pulsuum inaequalitate, intermissione, etc.

726. Functiones naturales etiam male se se habent: succedunt enim anorexia, indigestio, affectio hypochondriaca, singultus, vomitio frequens, pertinax, diarrhoea biliosa, serosa, stercoracea, lienterica, coeliaca, obstructio hepatis, lienis, pancreatis, glandularum mesenterii, icterus flavus, niger, abdominis, pectorisque hydrops, haemorrhoides, etc.

727. Functiones demum universales male etiam geruntur: namque totius corporis marcor, atrophia, marasmus accidit; virium languor, defectio, imbecillitas; vultus decoloratio, pallor, livor; febris

---

(1) Consul. de insaniae theoria, et curatione dissertationem attico stilo conscriptam Clarissimi Medicinae Professoris MARTINI ingenio, eruditione, et doctarum linguarum usu eximii (Aug. Taur. MDCCCXV).

intermittens periodica, anomala, erratica continua, lenta, hectica, colliquativa, marasmatica, etc.

728. Viri suas proprias experiuntur aerumnas; puta coëundi impotentiam, spermatis infoecunditatem, etc. Foeminae etiam, videlicet cancrum mammarum, menstruas expurgationes suppressas, aut e contrario immodicas, albos fluores, hystericas passiones, uteri inflammationem, gangraenam, abscessum, scirrhum, ulcus, carcinoma, sterilitatem, aut potius frequentem abortum, foetuum infirmitates, mortemque ipsam.

729. Cavete tamen, putetis haec omnia recensita symptomata, sive morbos una unquam concurrere, nempe in quibuscumque syphilitica lue confirmata laborantibus simul observari. Singulos potius singillatim afficiunt, omnia vero neminem unquam: neque enim virus, quod conceptum est, utcumque in corpore propagetur, exasperetur, tot, ac tam variis noxis inducendis sufficit, neque, etiamsi sufficeret, posset unquam haec omnia mala simul advocare, quum pleraque inter se contraria, imo pugnantia sint. Sed ex quam plurimis confirmata syphilide laborantibus, qui singuli suo modo aegrotarent, plurima symptomata seligere, et in unum congerere optimum visum fuit, ut haec venerea lues pluribus descripta lineamentis accuratius depingeretur.

730. Cavete etiam, ne existimetis ea etiam sympto-

mata omnia lui venereae propria esse, et ad luem veneream privatim pertinere. Contra notissimum est, sicuti nulla omni, sic pauca soli lui venereae convenire. Pleraque cum caeteris quibusvis morbis communia sunt, paucissima vero, imo nulla fortasse luis venereae ita propria sunt, ut pathognomonica symptomata, atque signa dici jure optimo possint. Sed de hisce fusius infra, ubi de diagnosi.

731. Cavete denique, ne credatis quoque, symptomata luis syphiliticae superius descripta esse exhausta, neque plura dari, quam quae recensita sunt. Potissima quidem, et sat frequentia delegimus, sed certe non omnia. Caeteroquin opus fuisset non modo morbos omnes, sed omnes etiam morborum differentias enumerare; siquidem experientia compertum est, veneream luem Protei instar mutabilem, et omnes morborum formas induere, et omnes eorumdem species referre posse.

De syphilidis diagnosi.

732. In syphilidis diagnosi tria inquirenda sunt: 1.° an aeger lue venerea laboret; 2.° an primaria, aut secundaria; 3.° an una venerea lue, videlicet non aliis morbis complicata. Rursus 1.° Bene exquirendum est, utrum aeger reapse syphilitica lue afficiatur, ne magno ejus infortunio, nec haud parvo medentis dedecore umbra pro corpore, larva pro

morbo oppugnetur. 2.° Bene est dignoscendum, an primaria, an secundaria syphilide aeger laboret, ut in primaria lue quasi nascens hydra in incunabulis ocyus opprimatur, prius quam adolescat; ut in secundaria morbi gravitati compar sit curatio. 3.° Bene denique animadvertendum est, an una extet syphilis, an diversorum morborum complexio in aegro simul existat, ut multiplici morbo multiplex etiam, et opportuna sit Medicina; vel si adhibenda remedia fuerint repugnantia, saltem ut prius profligato morborum altero, qui curatu facilior esse videbitur, liceat exinde alteri, qui pertinacior creditur, eo facilius mederi.

733. Jamvero praemittere fas est, ad dignoscendam syphilidem semper opus esse accurata, sollertique indagine: siquidem de illa judicium raro certum, plerumque anceps, semper difficile multis de caussis evadit.

1.° Quia morbi syphilitici tum primarii, tum secundarii pleraque cum aliis quoque morbis, uti jam innuimus, talia habent communia, ut nullo potiori jure ad luem syphiliticam uno intuitu, quam ad morbos alios pertinere videantur, neque tam facile possint veneream contagionem potius, quam aliam morbosam caussam indicare, a quibus dignoscendi morbi procedant.

2.° Quia syphilidis confirmatae morbi, qui pauci

quidem sunt adeo proprii, ut ei soli conveniant, plerumque accidunt inveteratae syphilidi, sed raro incipienti; proinde nullius usus esse ii possunt ad recentem, et incipientem syphilidem testandam, quod tamen votorum summa esset.

3.° Quia illud est venereae luis ingenium, ut haec simul concepta nativae aegrotantium, sic dicam, temperiei persaepe se se accommodet, ut infirmitates, morbosque eosdem mentiatur, quibus aegri antea affici solebant. Siquis ex. grat. pulmone, capite, oculis, hepate, etc. antea laboraverit, admisso semel venereo contagio, iisdem in locis perinde laboraturus est, sed paullo urgentius; unde fit, ut de novo morbo nulla sit suspicio aegrotanti, imo hic potius credat vetere usque morbo languere, qui inveterascendo invaluerit.

4.° Quia aegrotantes saepe celant morbi partem, saltem morbi originem, et progressum dissimulant, ne caussam detegant. Sic veritatem vix extorquetis ex adolescentibus, qui a parentibus, ab educatoribus, a praeceptoribus sibi timent; ex innuptis praesertim foeminis, quas pudet culpam confiteri; imo vero ex adultis, senibusve, qui sui juris, suaeque spontis sunt, quos piget non nunquam anteactam vitam candide relegere, et juvenilium errorum, siqui fuerint, reminisci.

5.° Quia aegrotantes persaepe fallit inscitia, opi-

nio: foeminae quandoque cancros patiuntur syphiliticos, qui tum fucatae, et mentitae istorum benignitatis caussa, tum loci, quo illi insident, gratia inobservati prorsus contingunt, brevi perdurant, sponteque evanescunt; nonnulli etiam illa perparva ulcera, cancros venereos, facile aliquoties ad cicatricem perducta flocci, aut nihili facientes ne suspicantur quidem, ipsa tot, tantorumque malorum segetem adeo uberem esse productura; alii demum ex eo, quod ad cicatricem perducti fuerunt cancri venerei, nec non ex eo, quod bona valetudo per diutinum temporis spatium a toleratis illis primitivis cancris sibi usque fuerit, obcaecantur, adeo ut sibimetipsis sit persuasissimum, se prorsus, et omnino fuisse sanatos.

734. In tanta rerum ambage una superest ratio fugitivam veritatem expiscandi: nempe si Chirurgus sedulus, et sagax veri indagator, inquisitor ad sequentia signa animo attendat diligente, atque perspicace; si haec singula sincere discutiat, distinguat, aestimet; si ea colligat, et comparet: siquidem ex signorum collatione plerumque eruitur id, quod vix elici posset, si seorsim spectarentur prima indicia, atque signa.

735. Primariae syphilidis diagnosis eruitur ab apparentibus morbis, quos a contagio recens excepto progigni jam indicavimus, quos ideo et pri-

marios nominavimus, uti sunt pustulae, cancri, rhagades, gonorrhoeae, excrescentiae, bubones, jugiter animadvertendo, hosce tamen morbos omnes produci quoque ab innumeris aliis caussis. Proinde exquirendum semper est, utrum praecesserint concubitus, lactatio, suctio, basiatio, cubatio cum suspectis, aut certe syphilide infectis, an nulli hujusmodi caussae se se objecerit aeger. Praeterea diagnostica signa, quibus discerni possunt syphilitici morbi a non syphiliticis, repetenda etiam sunt ex illorum notis, quas superius tradidimus, dum de singulis illis morbis egimus. Quando primitus morbi ceu syphilitici non fuerint dignoti, in posterum dignosci persaepe possunt etiam ex eo, quod isti morbi remediorum non antisyphiliticorum efficaciam diutine eluserint, et e contrario quod multum deinde illis proficiant remedia antisyphilitica.

736. Secundariae syphilidis diagnosis, dum illa latet adhuc, hisce rationibus obtinetur: 1.° exquirendum est, utrum praecesserint syphilitici morbi primitivi, et utrum hi fuerint ex iis, qui facilius confirmatam luem producere valent, uti cancri, bubones; 2.° quaenam in illos morbos adhibita fuerit curatio, nempe utrum antisyphilitica, nec ne, utrum ista sufficere potuerit, an non: enimvero siquis puta vere syphilitico cancro, et bubone, aut utrovis dumtaxat laboraverit; si aegrotans in istos

morbos nullam antisyphiliticam curationem, aut prorsus insufficientem toleraverit, magna quidem suspicio de latente syphilide secundaria remanebit, de qua tamen nullum certissimum judicium proferri potest, nisi quando in patentem syphilidem ea, quae antea latebat, abierit. Prout igitur morbi syphilitici primitivi ex iis fuerint, qui facilius in confirmatam syphilidem sunt abituri; prout illi copiosiores, et magis repetiti fuerint; prout etiam nulla, aut prorsus inepta ad corrigendum, ad eliminandum virus facta fuerit curatio, major usque exstabit praesumptio de superstite lue confirmata, etiamsi haec lateat adhuc vel ad remota temporis spatia a terminatis syphiliticis morbis primitivis.

737. Quae hucusque tradidimus, plurimum etiam conferunt ad dignoscendam confirmatam luem, quotiescumque haec se prodit, et morbos producit aut sibi quasi proprios, aut a se plerumque alienos. Prout igitur magis syphilidi proprii erunt morbi; prout major etiam fuerit antea de syphilide latente suspicio, uti nuper diximus, minus anceps semper erit diagnosis secundariae syphilidis patentis. Hanc deinde diagnosim confirmatissimam habemus a salutari, et quandoque mirifica praeparatorum ex hydrargyro medicaminum efficacia.

738. Non minoris ponderis negotium est syphilidem cum aliis infirmitatibus, aut morbis compli-

catam bene dignoscere. Quod haud aliter expeditur, nisi per pathognomonica cujusque infirmitatis, et morbi syphilidem complicantis signa, perlustrando videlicet an aetate, temperamento, viribus bene caeteroquin valeat aeger; an e contrario infantili, aut senili aetate, aut defessis vitae viribus infirmam valetudinem gerat; an malo temperamento, aut peculiari infirmitate laboret; an viribus sit quasi fractus; an peculiari aliquo morbo afflictetur. Tum vero sedulo animadvertendum etiam est, an peculiares infirmitates, et morbi ingressum syphilidis praecesserint, an syphilidem consecuti fuerint: in primo enim casu hanc vere complicant, et ab hac ipsa foventur; in altero ceu hujus effectus vel proximi, vel remoti succedunt.

739. Huc demum adde *practicum* illum, sic dicemus, dignoscendi sensum, quem facilem nobis tribuunt assiduae, et diuturnae clinicae observationes, atque experientiae: de hoc *practico* sensu, ut apposite ait Bertrandi (1), ne nobis quidem rationem dare valemus, nedum hujus participes alios facere per praecepta.

Chirurgis sic probabiliora sequentibus non tam difficilis erit diagnosis syphilidis primariae, et se-

---

(1) Bertrandi: Orazione sopra gli studj di Chirurgia.

cundariae: haec sive lateat, sive pateat, sive sit cum aliis morbis complicata.

De syphilidis prognosi.

740. In prognosi duo tantum debent inquiri: nempe 1.° quaenam lues venereae graviores sint, quae omnium gravissimae, atque inter lethiferas recensendae; 2.° quae curationem faciliorem, vel difficiliorem admittant, et cum majore, minoreve periculo.

741. Lues omnis venerea in genere gravis, et curatu difficilis censenda est.

1.° Ratione caussae: producitur enim a contagione admodum malefica, quae in partibus omnibus solidis nostri corporis alte imbibitur, cum liquidis omnibus intime confunditur, ex corpore difficulter evellitur, et cui evulsae superest non raro aliqua labes partibus inusta.

2.° Ratione malorum complurium, quae inde proficiscuntur: nam omnes fere corporis partes laedi possunt, nec non omnia earum munia mirum in modum depravantur, et pervertuntur.

3.° Ratione remedii, quod isti lui competit: licet enim hoc, hydrargyrum scilicet, rarae felicitatis esse videatur ad illam profligandam, nec non certius, et efficacius, quam forsan quodvis aliud ad

quemcumque alium morbum vincendum; attamen minime dissimulandum, hoc ipsum remedii genus quantacumque cautione adhibeatur, saepe non modo taediosum, sed etiam durum, et imo quandoque periculi non expers esse.

4.° Ratione recidivae, qua morbus, qui profligatus credebatur, iterum reviviscit: contingit enim non semel medentis culpa, qui curationi finem imponere praepropere festinat, aut qui imparem remedii dosim adhibuit, virus syphiliticum nec radicitus evelli, nec funditus deleri. Unde morbus mitigatus quidem, sed non curatus post fallaces inducias cum majore etiam ferocia, quandoque cum invincibili pertinacia integrascit. Quod etiam accidit, sed raro, ob malum remediorum actioni illudens.

472. Cavete tamen, censeatis eamdem, paremve de omni lue venerea prognosim esse instituendam: constat enim morbi gravitatem variam esse, atque adeo varie in aegris esse aestimandam multiplici de caussa.

1.° Ob novitatem, aut inveterationem: lues enim venerea, caeteris paribus, quo recentior, eo minus est gravis; generatim tanto gravior, quanto magis inveterata.

2.° Ob aegrotantium aetatem: sic etiam, caeteris paribus, magis periculosa est syphilis in infantibus, et senibus, quam in adolescentibus, et adultis.

3.° Ob sexum: etiamsi mulieres viris plerumque imbecilliores sint, et ideo syphilitici contagii efficaciae magis obnoxiae videantur; diutina tamen docuit experientia, syphilidem a foeminis facilius tolerari, quam a viris, quamdiu libere fluunt catamenia, aut illae suis temporibus gravidae fiunt, aut lactant: foeminarum enim istae conditiones quasi totidem evadunt syphilitici contagii temporariae expurgationes, numquam tamen ad prorsus eliminandum virus pares.

4.° Ob nativum temperamentum, et ob adventitias invaletudines, diatheses: quaedam enim tum fluidarum, tum solidarum partium conditiones sive nativae, sive adventitiae quasi fovere, atque intendere valent syphilitici contagii vehementiam; firmae insuper, integrae nostri corporis partes, vitaeque vires validius contagionis energiae obnituntur, quam debiles, et fractae. Hinc vel minus, vel magis gravis fieri potest syphilis.

5.° Ob consuetos, aut insitos morbos, quibus jam laborabat aegrotus ante syphilidem: lues enim ista magis est pertimescenda in epileptico, in phthisico, hydropico, arthritico, scorbutico, aut alia ratione cachectico, etc., quam in caeteroquin bene valenti; siquidem uti morbus antiquus recentioris additamento ingravescit, exasperatur, sic novum antiquioris praeoccupatione intendi necesse est.

6.° Ob quantitatem, et vehementiam malorum, quae lues invehit: procul enim dubio syphilis eo gravior censenda est, quo plures partes, pluresque functiones ab illa laeduntur, ac depravantur; quo istae ad vitam utiliores, majorisque momenti sunt; quo demum istae vehementius afflictantur. Quod certissime aut majorem syphilitici contagii malignitatem, aut graviores partium affectarum laesiones detegit; utrumque autem ad syphilidis prognosim perinde est, videlicet graviorem semper syphilidem praenuntiat.

743. Pro gravissimis demum, ac tandem lethiferis generatim habendae sunt illae syphilidis species: 1.° in quibus pars ad vitam pernecessaria, nempe vitae proxime inserviens graviter afficitur; 2.° in quibus pars quaevis licet non prorsus vitae necessaria, utpote tamen remediis parum obvia immedicabili quasi labe corrumpitur; 3.° in quibus degener virus, degenera exinde, quae ab hoc proficiscuntur, mala remediorum efficaciam expungunt.

1.° Cerebrum, caeteraeque ei adsitae partes syphilitico contagio affici possunt: nimirum interius cranii ossa aut tument, aut carie eroduntur; tubercula duriora piam, duramve meningem obsident; cerebri tractus in scirrhum induratur, aut latente abscessu corrumpitur; cerebri ventriculos collecta lympha replet, atque distendit. Hinc cephalalgiae, mo-

tus spasmodici, epilepsiae, paralyses, caecitates, vertigines, apoplexiae, etc. Pulmones haud aliter, cor, majoraque vasa male quandoque se habent a syphilide: pulmonum contextus duris, crudisque tuberculis ita infarcitur, ut e molli, spongioso, et dilatabili firmus, durus, scirrhodes fiat; tacita tuberculorum suppuratione, aut acutis abscessibus pessundatur illorum substantia; erosis, discissisve vasis in pulmonali textu, haemoptysis contingit, nec non phthisis pulmonalis, quandoque etiam hydrothorax. Cor, majoraque vasa palpitatione afflictantur, dilatantur, velque in aneurysmata abeunt.

2.º Hepar, lien, ventriculus, caeteraque viscera chylopojetica (1) inflammantur, abscedunt, exulcerantur, suisque propriis morbis afficiuntur syphilidis caussa; uterus, partesque utero adnexae in scirrhodes durities, in cachectica ulcera abeunt, unde serosa sanguinolenta colluvies e vulva profluit. Podex, perinaeum, vicinaeque partes, vesica, eique adjacentes partes adeo a syphilitico seminio labe-

---

(1) Chylopojeticus χυλοποιητικὸς ex χύλος succus, sed apud Medicos peculiaris succus, qui chylus dicitur, et ποιητικὸς habens vim faciendi. Hinc chylopojetica viscera dicuntur ea, quae habent vim, facultatem faciendi chylum.

factantur, ut quandoque gravissima istis partibus propria mala consequantur. Pertinacissima aliquoties ulcera quasi carcinomatosa penem invadunt, et omnium remediorum virtutem prorsus expungunt, et universa hujusce membri massa scirrhosam duritiem, scirrhosum ingenium nanciscitur: hujusmodi durities malis illis ulceribus comitata, prout nos complures clinicae observationes docent, funesta persaepe evadit; nec enim vel penis amputatio aegrum quandoque ab orci faucibus potuit abripere. Gravissima etiam mala osseum systema longe, lateque invadunt, de quibus malis jam superius sat dictum est. Partes omnes uno verbo a syphilitica contagione vehementissime conquassari possunt; nullam medicabilem certe gangraenam observavimus, quae usque progrediens enormi destructione, diris, intolerandisque cruciatibus finem tandem miserrimae vitae imposuit.

3.° Syphiliticum pus quandoquidem non unicum, et purum, sed cum rachitico, strumoso, scorbutico, aliisque intime commixtum, aut hydrargyri praeparatis vexatum potius, quam curatum, sic dicam, tam alteratam indolem, naturam adipiscitur, ut lues non amplius syphilitica, sed hybrida (1)

(1) Hybridum dicitur animal procreatum a conjun-

merito dici possit, et mala, quae inde consequuntur, ferociora sint, aegros plurimis modis miserrime torqueant, et efficacissimis remediis pertinacius resistant.

744. Ex hucusque dictis de prognosi non tam difficile erit colligere, quae syphilides sint graviores, quae gravissimae; sed quo satius, clariusque morborum syphiliticorum prognosis expleri possit, nonnulla subdemus de syphilide curatu faciliore, aut difficiliore.

745. Constat, syphilidem radicitus curari, plerumque etiam sat facile ope hydrargyri praeparatorum, quae modo apte seligantur, riteque adhibeantur efficacissima evadunt luis venereae antidota. Enimvero quum tot sint gravium morborum genera antiqua, et ab orbe condito cognita, uti phthisis, pestis, epilepsia, hydrophobia, carcinoma, etc., in quibus abigendis, curandisve Medicina etiamnunc cespitat, imo potius caecutit, pro rara autem felicitate computandum est ad curationem syphiliticae luis, quae nova est, videlicet quae in

---

ctione animantium diversae speciei, graece ὕβρις ὕβριδος vox detorta de ὕβρις ὕβρεως contumelia, adulterium. Hinc animantia hybrida dicuntur quasi exorta ex naturae adulterio, sive contumeliosa conjunctione.

Europa a tribus dumtaxat saeculis apparuit, tam certum, et praesentaneum remedium industria, sagacitate medentium inventum fuisse, quo lues omnium ferocissima tuto profligetur.

746. Ea est praeclara hujusce medicaminis conditio, ut inter centum syphilide aegrotos hydrargyro curatos vix unus reperiatur, qui perfecte non convalescat, modo, corpore prius praeparato, sufficiens methodo, dosi, cautione, ordine hydrargyrosis adhibeatur. Quod in caeteris morbis etiam levioribus haud ita plerumque contingit; quorum enim morborum medicina optima censetur ea, qua, inter centum aegros, quinquaginta, vel sexaginta perfecte consanantur.

747. Fatemur quidem, id olim minus vere dici potuisse de syphiliticorum morborum curationibus per hydrargyri praeparata, quando nempe immodicis, ac praecipitibus istorum dosibus gingivae, palatum, et fauces exulcerabantur, diuturna foetidissima salivae diluvies ciebatur, promovebatur, et lingua, facies, totumque caput intumescebant, et vera heterocranea (1) exoriebatur: tunc enim aegro-

(1) Heterocranea ἑτεροκρανία ex ἕτερος alter, diversus, et κράνον caput, quia in hoc morbo caput admodum alteratum est: nam heterocraneae nomine Plinius designavit morbum, in quo caput valde tumefactum dire dolet.

tantes hujusmodi curationibus vexati taedio, agrypnia, dolore confici. et miserrimis aliis millenis aerumnis diutissime macerari solebant. Sed hae jampridem, et nostra praesertim aetate curationes prudentiores, et cautiore methodo ita temperatae sunt, ut ne amplius quidem molestae a vulgo credantur.

748. Minime tamen dissimulandum est; nonnullas esse luis venereae species, quae plenam, et perfectam curationem difficilius admittant, et quibus etiam post accuratissimam hydrargyrosim quaedam supersint ex symptomatibus, quae antea aderant. Quod potissimum evenire solet, sive ob id, quod diutina morbi praesentia eam corpori intulerit labem, quam corrigere, vel delere haud facile sit; sive ob id, quod quaedam seminii venerei portiuncula non correcta, non destructa, non expulsa, sed intacta remanserit. Hoc experientia quidem assidua compertum est sat crebro succedere, uti fusius suis locis explicabimus.

749. Syphilis proinde curatu difficilior est habenda:

1.° Quotiescumque dolores tum vagi, tum fixi diuturnitate invaluerint, vel hi postremi a quodam gravi morbo organico aluntur; accidit enim post hydrargyrosim dolores eosdem pari ferme vehementia saevire.

2.° Quotiescumque cutis impetigine, sed herpete praesertim sicco pertinaciter deturpatur; siquidem

tunc dermidis (1) corpus reticulare, et mucosum contagio venereo alteratum, aut erosum, et quasi in coactilia mutatum acrimoniae, et salsugini, quae in sanguine insunt, perenne effluvium praebet.

3.° Quotiescumque durissimae adsunt exostoses eboris compactionem aemulantes, quae certe difficilioris curationis sunt, quod remediorum efficacia impar sit resolvendae materiei jam in verum ebur solidatae.

4.° Quotiescumque testes ambo, vel alteruter valde tument, et indurantur: solent enim saepenumero tumores istiusmodi, si inveterati sint, lapideam duritiem adipisci, quin semper in veros scirrhos mutentur; sed tum ob deficientes vitales hujusce organi proprietates tumores illi resolvi non amplius possunt.

5.° Quotiescumque adest inveterata gonorrhoea: huic enim nihil proficere hydrargyrosim testantur recentiores cordati Clinici.

6.° Quotiescumque stranguria, dysuria a praegressis gonorrhoeis ortae aegrotantes torquent vel continuo, vel per intervalla; quando pariter in perinaeo tumores, sinus, fistulaeve adsunt a gonorrhoeis provenientes ob eamdem rationem, quam nuper diximus.

---

(1) Dermis, cutis, corium pellis graece δέρμα δέρας.

7.° Quotiescumque denique cachexiae aliquae, sed scorbutica prae caeteris syphiliticae lui comitantur: experientia enim compertum est, istas luis venereae species hydrargyri praeparatorum usu, si haec sola adhibeantur, non expugnari, sed provocari potius; ideoque si hujusmodi lues radicitus curandae sunt, composita semper est adhibenda curatio, quae utrique composito morbo conveniat.

750. Datur et alterum luis syphiliticae genus praecedente pejus, cujus syphilidis curationem instituere adeo periculosum est, ut soleant inde gravia infortunia persaepe contingere, nisi cautissime procedat Chirurgus. Istiusmodi sunt:

1.° Quaecumque ex illis, quas jam superius recensuimus (§. 743) inter gravissimas, aut lethales: jure enim metuendum est, ne aegrotantes gravissima, et diutina labe jam fracti, vetusto morbo exhausti gravis remedii efficaciae, atque provocati ptyalismi molestiae succumbent.

2.° Quaecumque syphilis comitem habeat jam provectum scorbutum, nempe quando gingivae, et oris interiora foetent, livent, putrefiunt, et in fungos tument: in hoc enim scorbuti statu, ubi primum accedit oris phlogosis, et exulceratio, qualis in ptyalismo facillime evenit, solent tum jam putrescentes gingivae, tum faucium, palatique partes ab ulcere phagedaenico, et erodente devastari,

quod in gangraenam brevi desinit, vel proxime desiturum videtur.

3.° Quaecumque jam epilepticos adoritur, qui frequentibus, et gravibus paroxysmis corripi solent: tunc enim periculum adest, ne systemati nervoso inimica hydrargyri efficacia graviores advocentur epileptici insultus. Quaecumque etiam epilepsiam producit: haec enim semel exorta gravissimum semper perhibet morbum, atque curatu difficillimum. Epilepsiam autem a syphilide fuisse productam, testantur auctores quam plurimi, et quidem in arte versatissimi, videlicet ASTRUC, BONNET, LOCHER, BLOCH, VIDUS VIDIUS, FABRE, Beniaminus BELL, Homobonus PISO, SCARDONA, MAISONNEUVE, CULLERIER, PETIT RADEL, etc. Huic morbo nonnulli inter memoratos auctores vel felicem fecerunt medicinam hydrargyrosis praesertim ope, quod non semel nobis etiam contigit. Hoc scitu pernecessarium duximus, contrariam disciplinam, ut ait MARTIALIS,

. . . . quidam

Ne doceat tumidus plena vos voce magister.

4.° Quaecumque hypochondriacis accidit: quum enim hi natura, et morbo meticulosi sint, vanis imaginibus perculsi inani quidem pavore perterrefiunt per totum curationis tempus, ac medentem assidue importunis querelis exagitant. Sed haec tolerabilia. Quandoque animum ita despondent ex

desperatione, ut frequenti, et gravi deliquio subinde deficiant, et perfectae curationi obstent. Quae omnia periculi plena sunt.

5.° Quaecumque aegrotos attingit, qui diutina, et adsueta diarrhoea laborant: tunc enim hydrargyri efficacia eam promovere, aut in dysenteriam mutare valet cum maximo aegrotantis damno, atque periculo, adeo ut prorogatam hydrargyri administrationem non raro dissuadeant hujusmodi mala. Idem plane dicendum, si hydrargyri praeparata pro ptyalismo diarrhoeam moveant, quod non tam raro accidit iis etiam, quibus alvus adstricta esse solet.

6.° Quaecumque mulieribus evenit et foetum gestantibus, et male se se habentibus: siquidem maxime timendum est, ne illae abortiant.

7.° Quaecumque curanda occurrit in foeminis laborantibus ulcere, scirrho, carcinomate uteri sive a caussa venerea, sive ab alia quavis: contingit enim, nec raro, praesertim si a caussa non syphilitica pendeat scirrhus, aut carcinoma, ut haemorrhagiam ex utero vel lethalem, vel periculi plenam provocent tunc hydrargyri praeparata, quae in syphilidis curatione adhibentur.

8.° Quaecumque tandem infantes, senesve decrepitos invadit: isti enim viribus parum valent, primi nempe teneriore aetate nondum confirmati sunt, alteri provecta jam aetate fracti, de utrisque

proinde timendum est, ne misere succumbant ob vitae viribus inimicam hydrargyri vim.

751. Caeterum si de aegri salute nulla spes esse videatur, palliativa saltem curatione morbi ferocia est mitiganda; sed morbo prorsus desperato nulla est adhibenda hydrargyrosis, ne temere infamentur ea remedia, quae multis fuere saluti. At vero siqua salutis spes affulgeat, remediorum alea tentanda est, quum, ut ait Celsus, in evidente morbi periculo satius sit anceps experiri remedium, quam nullum, sed tentanda est prudenti semper, cautoque consilio. Quos demum curationis modos sibi velint tum lues venereae generatim, tum quae sunt e genere gravissimarum, tum quae non sine periculo medelam admittunt, tum quae hydrargyri efficaciam eludunt, tum quae accidunt foeminis utero gerentibus, tum quae infantibus lactentibus, aut pueris eveniunt, tum quae senibus, decrepitis, tum quae complicatos alios morbos obtinent, id omne objectum erit clinicae scholae.

752. Priusquam rem therapeuticam in syphiliticos morbos aggrediamur, nonnulla attingemus de aegri praeparatione ad hydrargyrosim. Satis constat ex iis, quae supra dicta sunt, virus venereum nullo certiore, tutiore, efficaciore remedio profligari posse, quam hydrargyri praeparatis. Ideoque non de remedio, quod confirmatae syphilidi proficiat,

sed de illius praeparatorum delectu, nec non de recta istorum administratione quaerendum est, nempe de specie hydrargyrosis, cujus nomini nos latiorem significationem tribuimus, quam tribuit Astruc, videlicet hydrargyrosis nomine intelligimus curationem ope cujuscumque praeparati ex hydrargyro remedii. Istiusmodi curationes cautis rationibus semper instituendae sunt; siquidem tristi, et nimium frequenti experientia comprobatum est, eas, etsi periculo vacent rite adhibitae, graves esse, difficiles, et periculosae aleae plenas, si temere, praepostere, inconsiderate, praepropere ipsae administrentur. Quocirca bene animadvertendum est, quid peragendum sit ante hydrargyrosim, per hydrargyrosis tempus, post peractam hydrargyrosim.

753. Ante hydrargyrosim prudentis Clinici officium est ad quatuor attendere: 1.° an praesens aegri status par sit hydrargyrosi ferendae; 2.° an anni tempestas sit opportuna, nec non; utrum morbi natura dilationem admittat, nec ne; 3.° an unum, aut alterum hydrargyri praeparatum magis morbi qualitati, aegrotique adjunctis conveniat; 4.° an probe sit praeparatum ex hydrargyro remedium, quod pro curatione deligitur. Quid vero peragendum sit per hydrargyrosis tempus, nec non post peractam hydrargyrosim, suo loco dicemus.

754. Syphilidis rudimenta pathologica, quae typis

modo vulgamus; therapeutica, quae jam dictavimus, vobis viam aperient ad clinicam syphiliticorum morborum scholam, in cujus usum utraque conscripsimus. Haec utinam schola vestris in animis bene inscribat etiam Van Swieten monitum: » Nullum » credo potentius esse effrenis libidinis antidotum, » quam siquis miserrimas illas vulgivagae Veneris » victimas in nosocomiis ad hujus morbi curam » institutis collectas contempletur attentius. »

Finis.

V. Tosi *Revisor Archiepiscopalis.*

Pollanus *P. ac R.*

Imprimatur.

Augustae Taurinorum v. kal. septemb. mdcccxx.

M. X. Provana *Stud. Mod.*

ELENCHUS.

EX HYGIENE.

EX PATHOLOGIA.

EX THERAPEUTICE.

EX NOSOLOGIAE EPITOME.

SYPHILIS.

INDEX RERUM

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Q.

R.

S.

U.

V.

X.

Z.

N. B. *Remediorum nomina commoditatis gratia sub finem cujusque litterae indicavimus.*

Ex Typographia Bianco.

			ERRATA.	CORRIGE.
Pag.	9 lin.	1	Ὑγιεία	Ὑγίεια
»	90 »	3	Pruritus	pruritus ;
»	97 »	8	orsitan	forsitan
»	138 »	8	quid	quod
»	143 »	9	cathartica	catarthica
»	145 *not.*	3	*ρίνες*	*ῥίνες*
»	157 »	1	*στὲλλω*	*στέλλω*
»	182 »	4	*Ἀμφίχωλος*	*Ἀμφίχωλος*
»	192 »	2	*ἀγκύλόγλωσσον*	*ἀγκυλόγλωσσον*
»	208 »	4	*ἀναλύσις*	*ἀνάλυσις*
»	*id.* »	6	*πᾶς*	*πᾶν*
»	219 *lin.*	25	adventiti	adventitii
»	250 *not.*	1	*κατάῤῥέω*	*καταῤῥέω*
»	259 *lin.* et *not.*	12 / 1	Thricures	Trichures
»	271 »	2	*ἐρυσιπέλας*	*ἐρυσίπελας*
	id.		*ἀπέλος*	*ἄπελος*
»	314 »	5	*ἴσχιον*	*ἰσχίον*
»	317 »	4	*ὅπισθεν*	*ὄπισθεν*
»	318 *lin.*	10	facie	faciei
»	330 »	8	ventriculo	ventriculis
»	336 »	22	ac	ex
»	340 »	22	defoedebantur	defoedabantur
»	351 »	11	viciniis	viciniae
»	364 »	21	degenere	degener
»	372 »	15	estium	testium
»	416 »	17	472	742
»	428 »	17	utero	uterum
»	123 »	9	crura	crurum